Diss Halle
1934
A. Krüger

QUAESTIONES ORPHICAE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
A PHILOSOPHORUM ORDINE HALENSI
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS KRUEGER
HANNOVERANUS

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS G. M. B. H.
MCMXXXIV

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt
Otto Kern et Ernestus Diehl.

Examen rigorosum
habitum est a. d. IV. Nonas Quintiles MCMXXXIV.

Typis expressa est dissertatio
Henrici Keilii stipendio largiter subministrante.

OTTONI KERN

SACRUM

Conspectus Capitum.

Caput I.

De Ἱερῷ λόγῳ Orpheo-Pythagoreo.

Kernius quoque, olim acerrimus patronus antiquitatis theogoniae in Rhapsodias dispertitae, hanc in recentiore memoria consarcinatam esse in editione egregia fragmentorum Orphicorum pro certo habet: „Quo tempore", inquit p. 141 illius operis, „hoc magnum carmen varios Orphicorum *λόγους* comprehendens compositum sit, obscurum est. Quod quamvis multo ante Neoplatonicorum aetatem factum esse negem, tamen veterum carminum vestigia in eo conservata esse mihi extra omnem dubitationem positum est". Quibus concessis quaerendum est, qualis theogonia antiquissima formata in quali carmine descripta fuerit.

Schuster quidem, contra cuius dissertationem (De veteris Orphicae theogoniae indole atque origine, diss. Lips. 1869) Kernius (De Orphei Epimenidis Pherecydis theogoniis quaestiones criticae, diss. Berolin. 1888) ancipiti Marte pugnavit, hoc recte cognovisse mihi videtur in theogonia Orphica antiquissima a Nocte incipi, ex qua Caelus et Terra gignantur, et Oceanum et Tethyn parentes Titanum nominari. Ut hanc sententiam probaret, iure optimo congessit Eudemum apud Damascium de prim. princ. 124 I 319, 10 Rue. (Eud. Fragm.[2] 117 Speng.; Kern. fr. 28): *ἀπὸ δὲ τῆς Νυκτὸς ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν* (cf. Chrysipp. ap. Philodem. de piet. 81, 18 Gomp.; Fragm. Stoicor. ed. de Arn. II nr. 636; Kern. fr. 28 a), Aristot. Metaphys. *Λ* 6, 1071 b 26 (Kern. fr. 24): *οἱ θεολόγοι οἱ ἐκ νυκτὸς γεννῶντες* et *N* 4, 1091 b 4 (Kern. fr. 24 p. 95 supr.): *οἱ δὲ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταύτῃ ὁμοίως, ᾗ βασιλεύειν*

καὶ ἄρχειν φασὶν οὐ τοὺς πρώτους, οἷον Νύκτα καὶ Οὐρανὸν ἢ Χάος ἢ Ὠκεανόν . . ., Joa. Lyd. de mens. II 8 p. 26, 1 Wue. (Kern. fr. 28 a p. 98 med.): *καὶ τρεῖς πρῶται κατ' Ὀρφέα ἐξεβλάστησαν ἀρχαὶ τῆς γενέσεως, Νὺξ καὶ Γῆ καὶ Οὐρανός, θεῶν δὲ τῶν ἐν γενέσει τρία γένη, οὐράνιον καὶ ἐπίγειον καὶ τὸ μεταξὺ τούτων*, Platon. Tim. 40 e (Kern. fr. 16): *Γῆς τε καὶ Οὐρανοῦ παῖδες Ὠκεανός τε καὶ Τηθὺς ἐγενέσθην, τούτων δὲ Φόρκυς Κρόνος τε καὶ Ῥέα καὶ ὅσοι μετὰ τούτων, ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ῥέας Ζεὺς Ἥρα τε καὶ πάντες ὅσους ἴσμεν ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν, ἔτι δὲ τούτων ἄλλους ἐκγόνους* et Cratyl. 402 b (Kern. fr. 15): *λέγει δέ που καὶ Ὀ. ὅτι*

Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο,
ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμομήτορα Τηθὺν ὄπυιεν.

Ne proculcata atque protrita retractem, satis habeo haec fragmenta attulisse, sed pauca adiciam ad Platon. Phileb. 66 c (Kern. fr. 14): „*ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ*“ *φησὶν Ὀ.* „*καταπαύσατε κόσμον* (*οἶμον* fort. recte Kroll. Philolog. LIII 1894, 420) *ἀοιδῆς*“, quod hic versus ambiguus nondum plane illuminatus esse mihi videtur. Schuster enim quinque aetates, quae sese excipiant, esse Caeli, Oceani, Saturni, Jovis, filiorum Jovis sexta heroum aetate omissa arbitratus iniuria Noctem silentio praeterit, qua in rationem inducta et in primam aetatem relegata efficitur, ut auctor filiorum Jovis aetate commemorata, sed non exposita carminis finem faciat. Haec certissima sunt, quare Zagreum et Bacchum quominus antiquissimae theogoniae praefracte abrogem, nihil moror; solum dubium est, num Phanes in hac theogonia inveniatur. Kernius quidem (diss. p. 35) Platonem Leg. IV 715 e (Kern. fr. 21) suspicatur hymnum a Ps.-Aristotele *Περὶ κόσμου* 7 p. 401 a 25 Orpheo ascriptum (Kern. fr. 21 a) haud leviter attingere, in quo Phanetis *καταπόσεως* ratio habita sit; sed argumenta firmissima, quae infra demonstrabo, huic opinioni reclamitant. Tamen Phanetem ex antiquissima theogonia minime excludendum esse mihi persuasum est,

cum Aristophanes (Aves 696; Kern. fr. 1) Amorem-Phanetem ex ovo ortum in theogonia ad Orphicam referenda depingat, in qua hic filius Noctis existimatur.

Miror neminem adhuc criticorum sagacitate atque acumine praestantissimorum ad hanc theogoniam illustrandam adhibuisse Hieronymianam, quae cum illa maxime congruat. En Athenagorae verba pro Christianis 18 p. 134, 21 Geffck. (Kern. fr. 57): *οὗτος ὁ Ἡρακλῆς ἐγέννησεν ὑπερμέγεθες ᾠόν, ὃ συμπληρούμενον ὑπὸ βίας τοῦ γεγεννηκότος ἐκ παρατριβῆς εἰς δύο ἐρράγη. τὸ μὲν οὖν κατὰ κορυφὴν αὐτοῦ Οὐρανὸς εἶναι ἐτελέσθη, τὸ δὲ κάτω ἐνεχθὲν Γῆ· προῆλθε δὲ καὶ θεὸς τρίτος (γ̄) δισώματος (γη διὰ σώματος* A; *τις δισώματος* Lobeck.; *πτηνός τις δισώματος* Zeller; *Μῆτις ἀσώματος* Kern.; *τρίτος (γ̄) ἤδη ἀσώματος* Th. Gomperz.: *Deutsch. Lit.-Zeit.* 1888, 974 (*Hellen.* II 368); *τρίτος (γ̄) δισώματος* mihi arridet (cf. Damasc. de princ. 123 bis I 318, 20 Rue.; Kern. fr. 54; *καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις θεόν* . . .). Ad hunc locum cf. H. Gomperz. *Hermes* LXVII 1932 p. 162 n.). Si pro Chrono-Hercule Noctem ponimus, theogoniam antiquissimam habemus: Nox parit ovum, ex quo Caelus et Terra et Phanes oriuntur. Si antea mirabamur, quo tandem iure Aristoteles principia mundi Noctem et Caelum nominare omisso, ut videtur, Phanete, qui in theogonia in Rhapsodias distributa cum Nocte Caelum Terramque procreat, et Joa. Lydus tria principia Noctem, Caelum, Terram appellare possit, haec quaestio theogonia Hieronymiana composita facile dissolvitur enucleaturque: Phanes enim principium est quartum, quod cum Caelo Terraque ex ovo disrupto profertur. Sane Damascius, qui theogoniam Hieronymo notam copiosius describit Athenagora, Chronum facit Aethera, Chaos, Erebum producentem, in quibus Chronus ovum generet; nam quoniam Hieronymianam cum theogonia in Rhapsodias disposita contulit, sic pergit (123 bis I 318, 11 Rue.; Kern. fr. 54): *ἀμέλει καὶ κατὰ ταύτην* (sc. Hieronymianam) *ὁ Χρόνος οὗτος ὁ δράκων γεννᾶται τριπλῆν*

γονήν· Αἰθέρα, φησί, νοτερὸν καὶ Χάος ἄπειρον, καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις Ἔρεβος ὀμιχλῶδες, τὴν δευτέραν ταύτην τριάδα ἀνάλογον τῇ πρώτῃ παραδίδωσι δυναμικὴν οὖσαν ὡς ἐκείνην πατρικήν. διὸ καὶ τὸ τρίτον αὐτῆς Ἔρεβός ἐστιν ὀμιχλῶδες, καὶ τὸ πατρικόν τε καὶ ἄκρον Αἰθήρ, οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ νοτερός· τὸ δὲ μέσον αὐτόθεν Χάος ἄπειρον. ἀλλὰ μὴν ἐν τούτοις, ὡς λέγει, ὁ Χρόνος ᾠὸν ἐγέννησεν, . . . Primo quidem obtutu acceperis hos filios Chroni ab antiquissima theogonia alienos esse, cum Aristoteles et Eudemus et Joannes Lydus sola principia Noctem, Caelum, Terram afferant; sed ex Aristophan. Av. 693 sqq. (Kern. fr. 1) apparet illos iam in theogonia Eudemiana allegatos esse:

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς,
γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ οὐδ' οὐρανὸς ἦν· Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν, . . .

Noli credere comicum antiquissimam theogoniam pedetemptim secutum esse, sed plurima ex illa eum surripuisse mihi manifestum est, quia cum auctore theogoniae Hieronymianae et Chaos et Erebum nuncupat et Noctem Ἐρέβους ἐν ἀπείροσι κόλποις ovum parientem inducit, ut ille in Aethere, Chao, Erebo, qui consensus conspirantes, si casui deberentur, prodigii similes essent. Comico liberrime concedamus pro Aethere Tartarum substituenti et Noctem ovum enitentem non in tribus deis, sed in uno Erebo facienti. Quid autem obstat, quominus Aristophanem Noctem primam deam et solam non procusam putare colligamus, cum Chao et Erebo vs. 694 cum Nocte enumeratis vs. 691 ortum (γένεσιν) tribuat:

φύσιν οἰωνῶν γένεσίν τε θεῶν ποταμῶν τ' Ἐρέβους τε Χάους τε εἰδότες . . .

En habemus Noctem Chaos, Erebum, Tartarum (sive Aethera) gignentem, et in Erebo (sive in Erebo, Chao, Aethere) ovum edentem. Si tamen Aristoteles, Eudemus, Joannes Lydus haec principia Nocte nata plane omittunt, hoc fieri mihi videtur, quod aetates significavisse satis habent; nam Nox primam suppeditat, Caelus et Terra

alteram, in qua praeter Phanetem Aethera, Chaos, Erebum numerare licet, quae principia ex eadem ratione Athenagoras praetermisisse videtur. Itaque ex theogonia ab Hieronymo et Hellanico explanata conici potest secundum antiquissimam praeter Phanetem Caelum et Terram ex ovo proruptos esse, in quo ab origine copulati fuerant. Haud scio an hanc doctrinam Orphicam Euripides in Melanippa (Fragm. trag. N.[2] 484) spectet:

κοὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα,
ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία·
ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
δένδρη, πετεινά, θῆρας οὕς θ' ἅλμη τρέφει
γένος τε θνητῶν.

(cf. Porphyr. de abst. III 25 p. 222, 2; Fragm. trag. N.[2] Eurip. 1004), ubi expressis verbis dicitur caelum et terram ab initio in unam formam confusa, postea dirempta arbores, aves, pisces, homines pullulavisse. Quo fragmento iure optimo theogoniae Platoni notae assignato secundum hanc homines e Caelo et Terra orti esse videntur, cum ex Titanibus, qui Zagreum comederunt, geniti esse non possint, quoniam hunc Bacchum alterum theogoniae antiquissimae abiudicavimus. Eadem doctrina lamellis aureis Peteliae, Thuriis, Eleuthernae repertis subest, in quibus mystes genere gloriatur: fr. 32 a 6: *Γῆς παῖς εἰμι καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος* (cf. fr. 32 b 3) et 32 c 3: *καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν* (cf. 32 d e 3). Denique theogoniam antiquissimam sapit theogonia ab Apollonio expedita, qui Argon. I 496 sqq., postquam caelum, terra, mare dispesta sint, astra, lunam, solem, montes, flumina cum nymphis, animalia omnia orta esse Orpheum inducit canentem.

Praeter haec patefacta in Hieronymiana alia vestigia delitescunt theogoniae a Platone lectitatae. In antiquissima Adrasteam sive Necessitatem partes quasdam egisse iam diu notum. Plato enim Phaedr. 248 c (Kern. fr. 20) de

lege Adrasteae loquitur, Res publ. V 451 a (Kern. fr. 20): *προσκυνῶ δὲ Ἀδράστειαν* (cf. Aeschyl. Prom. vs. 936), et Euripides Helen. vs. 513 dicit:

λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμός, σοφῶν (l.; *σοφόν* LP) *δ' ἔπος,*
δεινῆς Ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον,

atque haud scio, an multi alii loci ad hanc deam Orphicam pertineant (cf. Kern. diss. p. 45). Sed Kernius a veritate desciscit, qui illam toto caelo differe a *διωργυιωμένη* cum Chrono congregata, quae in Hieronymiana invenitur, arbitratus ad nutrices illas Jovis in Noctis antro versantes nos amandat, quas Rhapsodiae suppeditant (Procl. in Tim. 41 e III 274, 17 Diehl.; Kern. fr. 162): *καὶ γὰρ ὁ δημιουργός, ὥς ὁ Ὀ. φησι, τρέφεται μὲν ἀπὸ τῆς Ἀδραστείας, σύνεστι δὲ τῇ Ἀνάγκῃ* (cf. fr. 105); ac primum dubium est, an dea illa cum Chrono coniuncta a nutricibus Jovis distinguenda sit, cum ignoretur, num in Rhapsodiis quoque Necessitas-Adrastea cum Chrono consociata sit. Sed si Kernius nutrices a *διωργυιωμένη* differre rectissime coniecit, nonne constat hanc deam praestantissimam potius implorari eique legem addici posse, quam deis illis minoris auctoritatis? Itaque eam deam, quam Aeschylus, Euripides, Plato ad partes vocant, eandem esse suspicor atque in initio theogoniae Hieronymianae positam (Damasc. de princ. 123 bis I 318, 2 Rue.; Kern. fr. 54): *συνεῖναι δὲ αὐτῷ* (sc. Chrono) *τὴν Ἀνάγκην, φύσιν οὖσαν τὴν αὐτὴν καὶ Ἀδράστειαν δισώματον διωργυιωμένην ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένην,* quae verba crepera sic interpretor, ut Necessitatem et Adrasteam eandem deam significare et duo nomina eiusdem deae esse iudicem, sive iam ab Orpheo ementito, sive a Damascio doctrina nimis subtili decepto confusae sunt. Cui deo autem ea in hac theogonia consociata fuerit, praesertim cum Chronus omissus esse videatur, haec difficultas facile eximi potest nobis cogitantibus in Rhapsodiis quoque Necessitatem Adrasteamque in Noctis specu versari et Hieronymianae auctorem, ut supra eruimus,

Chronum loco Noctis posuisse. Sequitur, ut in theogonia antiquissima Nox una cum Necessitate sive Adrastea omnibus deis anteposita fuerit. Jam animadvertimus auctorem Hieronymianae ex theogonia antiquissima hortulos suos irrigavisse et illam cum hac Rhapsodiis artius connexam itaque vetustiorem esse, quare verisimile est Rhapsodiarum auctorem theogonia ab Hieronymo et Hellanico explanata usum esse et ex ea praeter cetera Chronum decerpsisse. In dubitatione quidem versatur, num in Rhapsodiis quoque hic deus sic informatus sit, ut in theogonia Hieronymiana, quod nihil de eius figura traditum est.

Vestigia Hieronymianae non leviter impressa esse censeo in theogonia ab Argonauticorum auctore descripta, de qua paulo uberius mihi agendum est, cum eius forma nondum pervestigata atque indagata sit. In scriptis Orphicis enumerandis initium capit poeta a theogonia, quam vs. 12—16 persequitur:

ἀρχαίου μὲν πρῶτα Χάους[1]) *ἀμέγαρτον*[2]) *Ἀνάγκην*
καὶ Χρόνον,[3]) *ὡς*[4]) *ἐλόχευσεν*[5]) *ἀπειρεσίοισιν ὑφ' ὁλκοῖς*[6])

A = Augustani Monacenses, A 1 = Augustanus M 1, A 2 = Augustanus M 2, As = Askewianus, L = Lugdunensis, P = Parisinus 2763, p = Parisinus 2678, R = Ruhnkenianus, S = Strahoviensis, Vi = Vindobonensis, Vo = Vossianus, W = Vratislaviensis.

1) *Χάους* codd. pl.; *φάους* Vo (marg.), „eandem lectionem ex Aug. utroque memorat Schneiderus, a me aut neglectam, aut consulto praeteritam: nisi Schneideri error est." Hermannus.

2) *ἀμέγαρτον* codd.; *ἀτέκμαρτον* Hermannus: „vix enim commode *ἀμέγαρτος ἀνάγκη* dici potest"; Wielius (Observationes in Orphei Argonautica P. II progr. Bedburg. 1861 p. 31) male explicat: „cum *(ἀμέγαρτος)* primario sensu sit illud, cui non invideamus, abit inde in notionem eius, quod triste et horribile est, cuius magnitudo tanta est, ut invidiam exsuperet." (cf. Dottinium: *„D'abord la triste Necessité de l'antique Chaos"*).

3) *Χρόνον* Zoëga *Abhandl.* p. 229; *χρόνον* codd.

4) *ὡς* codd.; *ὅς* vulgo (teste Hermanno; Dottinius: *ὅς* codd. pl.; *ὡς* As P p Vi).

5) *ἐλόχευσεν* codd. pl.; *ἐλόχησεν* A R S Vo (marg.)

Αἰθέρα καὶ διφυῆ περιωπέα[7] *κυδρὸν Ἔρωτα,*
Νυκτὸς ἀειγνήτης πατέρα[8] *κλυτόν, ὅν ῥα Φάνητα*[9]
ὁπλότεροι καλέουσι[10] *βροτοί· πρῶτος γὰρ ἐφάνθη.*

---

[6]) *ἀπειρεσίοισιν ὑπ' ὁλκοῖς* As L S Vo W; *ἀπηρεσίοισιν ὑπ' ὅλκοῖς* Vi; *ἀπειρεσίῃσιν ὑπ' ὁλκοῖς* R (*ῃσιν* Vo marg.); *ἀπερσίῃσιν ὑπὸ ὁλκοῖς* A 2; Cribellus, qui interpretatur: „Deinde per innumeras Saturni semine vires", *ἀπειρεσίῃσιν ὑπ' ἀλκαῖς*, ut Eschenbachius cognovit, legisse videtur, quae verba Wielio (Observ. in Orphei Argon. P. IV, progr. Bedburg. 1866 p. 4) apta esse videntur, „quod in optimis (?) codicibus *ἀπειρεσίῃσιν* legitur, non *ἀπειρεσίοις*". (Contra hanc rationem, quam Wielius secutus plurima, quae in Argonauticis inesse videbantur, vitia adiuvante Cribello tollere conatus est, optime disputavit Fridericus Hillmannus: De arte critica in Orphei Argonauticis factitanda, diss. Lips. 1883 p. 49 sqq., qui ad artem criticam in Argonauticis adhibendam nihil valere versionem Leodrisii Cribelli rectissime conclusit.); *ἀπειρεσίοις ὑπὸ κόλποις* Steuchus (de perenni philos. VII 10, 431), quod Ruhnkenius, Gesner, Schneider, Hermannus, Lobeckius, Abelius, Kernius approbaverunt.

[7]) *περιωπέα* codd., cf. Kern. fr. 76: *τετράσιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα* (cf. fr. 77), cf. Th. Gomperz. *Deutsch. Literaturz.* IX 1888 p. 974 (*Hellenika* II 368); *πυρσωπέα* Ruhnkenius, qui *πυρσαυγής* confert hymn. Orph. XIX 1: *Ζεῦ πάτερ, ὑψίβρομον πυρσαυγέα* (*πυριαυγέα* Abelius) *κόσμον ἐλαύνων*; *περιώσια* Wielius Observ. P. II p. 26 (= *πλέον, περισσῶς τῶν ἄλλων*; cf. schol cod L ad vs. 62 in Guttmann.: *Zur Handschriftenkunde der Orphischen Argonautica* I, progr. Koenigshuett. 1887 p. 6); *πυριωπέα* Abelius (qui *πυριαυγέα* h. XIX, 1 corrigit; cf. Diodorum I 11, 3: *Εὔμολπος μὲν ἐν τοῖς Βακχικοῖς ἔπεσί φησιν· „ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν"*).

[8]) *πατέρα* codd.; *υἱὸν* Schneider; *υἷα* Hermannus; Wielius quamquam Noctem filiam Phanetis putatam et *πατέρα* propter Noctis epitheton *ἀειγνήτης* mutandum esse non oportere intellegit, in dissertatione: Observationes in Orph. Argon., Bonnae 1853 p. 33 duo praesto esse iudicat, quae non improbabiliter supponas: „Primum si accipias haec de Nocte non illa mythica, sed quam antiquo Chao incubantem a Phanete dissipatam esse fingunt, sic fortasse legi poterit: *Νυκτὸς ἀειγνήτης φθορέα κλυτόν*, Noctem autem considerans ut coniugem Phanetis, quocum coniuncta cetera fere efformavit, leni mutatione scribas *Νυκτὸς ἀειγνήτης* vel *ἀνέρα κλυτόν* vel *πάρεδρον κλυτόν*"; Observ. P. IV p. 4 cum Cribello („quique frequens genitae est noctis pater inclutus") *ἀείγνητος* idem atque „frequens genitus" esse putat, quare *πατέρα* probat; sed quod ad vocabulum

Chaos deis aliis anteponitur, quare *ἀρχαῖος* appellatur (cf. Soph. Oed. Col. [40] 106. *RE*² III A 613). In theogonia Hieronymiana autem Chaos cum Aethere et Erebo ex Chrono nascitur teste Damascio de princip. 123 bis I 318, 11 Rue.; Kern. fr. 54): *ὁ Χρόνος οὗτος ὁ δράκων γεννᾶται τριπλῆν γονήν. Αἰθέρα, φησί, νοτερὸν καὶ Χάος ἄπειρον, καὶ τρίτον ἐπὶ τούτοις Ἔρεβος ὀμιχλῶδες.* Rhapsodiae ordiuntur a Chrono, ex quo Aethera et Chaos gigni praeter ceteros Proclus tradit in Plat. Rem publ. II 138, 14 Kr. (Kern. fr. 66):

Αἰθέρα μὲν Χρόνος οὗτος ἀγήραος, ἀφθιτόμητις
γείνατο καὶ μέγα χάσμα πελώριον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Chronum primum principium esse, ex quo cetera nascantur, idem auctor est manifestus in Plat. Cratyl. 396 b c p. 59, 14 Pasqu. (Kern. fr. 68): *ὅτι τὸν Κρόνον διὰ τὸ ἀμέριστον αὐτοῦ καὶ ἑνιαῖον καὶ πατρικὸν καὶ ἀγαθουργὸν ἐν τοῖς νοεροῖς εἰς ταὐτόν τινες ἄγουσι τῇ μιᾷ τῶν πάντων αἰτίᾳ, οὐ καλῶς λέγοντες· ἀναλογεῖ γὰρ αὐτῇ μόνον, ὡς καὶ Ὀρφεὺς τὴν πρώτην πάντων αἰτίαν Χρόνον καλεῖ ὁμωνύμως σχεδὸν τῷ Κρόνῳ, αἱ δὲ θεοπαράδοτοι φῆμαι τὴν θεότητα ταύτην τῷ ἅπαξ χαρακτηρίζουσιν λέγουσαι ἅπαξ ἐπέκεινα.* Quamquam Joan. Malalas Chronogr. IV 89 p. 74, 2 Dind. (Kern. fr. 65) auctor esse videtur Aethera et Chaos non a Chrono procusos esse: *ὅτι ἐξ ἀρχῆς ἀνεδείχθη τῷ Χρόνῳ ὁ Αἰθὴρ ἀπὸ τοῦ θεοῦ δημιουργηθεὶς καὶ ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν τοῦ Αἰθέρος ἦν Χάος* . . ., quae verba Kernius (diss. p. 8) premit, ut secundum Rha-

---

ἀείγνητος attinet, Lobeckius (p. 482 n.) rectissime apposuit Eustathii comm. ad Homeri Iliad. B 400 p. 245 ed. Rom.; I p. 198, 38 ed Lips.: *Αἰειγενέται δὲ ἢ ὧν τὸ γένος ἀεὶ διαρκεῖ ἤ, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ φησιν, αἰὲν ἐόντες. λέγεται γὰρ παρὰ τῶν παλαιῶν ὅτι οἱ Ἴωνες τὸ εἶναι γενέσθαι φασίν· ὅθεν αἰειγενέτης ὁ ἀεὶ ὤν*; *παῖδα* Seidenadelius (*Orpheus' Argonautenzug im Versmaße der Urschrift übersetzt*, progr. progymn. Bruchsal. 1873 p. 8).

⁹) *φάνητα* codd.

¹⁰) *καλέουσι* Vi (marg.) et vulgo; *κικλήσκουσι* cett.; *κλῄζουσι* Hermannus.

psodias Chronum Aethera Chaos simul omnium rerum principia esse demonstret. Sed haud scio an ille deus, a quo Aether procreatus esse dicitur (*ἀπὸ τοῦ θεοῦ δημιουργηθείς*), Chronus ipse intellegendus sit, praesertim cum, quin Malalas hoc loco ex Rhapsodiis pendeat, in dubium redigi non possit, quia, ut iam Lobeckius vidit, verbis *ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν τοῦ Αἰθέρος ἦν Χάος* fragmentum 66 significatur. Sequitur, ut neque in Rhapsodiis neque in theogonia Hieronymiana Chaos principem locum obtineat, qua ex ratione poetam aliam theogoniam nobis ignotam recoxisse auguratus sis. Sed priusquam hoc praepropere opinaris, perpendas velim initium theogoniae Hieronymianae, quod Damascius (de princ. 123 bis; I 317, 16 Rue.; Kern. fr. 54) sic praebet: *ὕδωρ ἦν, φησίν, ἐξ ἀρχῆς, καὶ ὕλη, ἐξ ἧς ἐπάγη ἡ γῆ· δύο ταύτας ἀρχὰς ὑποτιθέμενος πρώτας, ὕδωρ καὶ γῆν* . . ., et apud Athenagoram (fortasse rectius) legimus (pro Christian. 18 p. 134, 18 G.; Kern. fr. 57): *ἦν γὰρ ὕδωρ ἀρχὴ κατ' αὐτὸν τοῖς ὅλοις, ἀπὸ δὲ τοῦ ὕδατος ἰλὺς κατέστη* . . . Si ad hoc exordium theogoniae *καθ' Ἱερώνυμον καὶ Ἑλλάνικον* schol. Apoll. Rhod. I 498 (Fragm. Stoic. I nr. 104 de Arnim.) apponimus: *καὶ Ζήνων δὲ τὸ παρ' Ἡσιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναί φησιν, οὗ συνιζάνοντος ἰλὺν γίνεσθαι, ἧς πηγνυμένης ἡ γῆ στερεμνιοῦται*, quid obstat, ne auctor Argonauticorum Stoicorum tricas secutus pro aqua, quam in theogonia Hieronymiana invenit, Chaos Hesiodeum poneret? Quin etiam fortasse Chaos in theogonia ipsa legebatur, et aquam Chaos quoque vocari in ea scriptum fuit, similiter atque in theogonia Pherecydea, quam Achill. Isag. 3 p. 31, 28 Maass. (*F. V.*[4] II 71 B 1 a D.) tangit: *Θαλῆς δὲ ὁ Μιλήσιος καὶ Φερεκύδης ὁ Σύριος ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ ὕδωρ ὑφίστανται, ὃ δὴ καὶ Χάος καλεῖ ὁ Φερεκύδης.*

Versum duodecimum Dottinius sic convertit: „*D' abord la triste Necessité de l' antique Chaos, et Cronos.*“ Interpretationem divulgatam igitur asciscit omnium criticorum, ex qua Chronus non Chai filius fertur, sed principium simul

cum eo productum, et Necessitas non dea a Chao divisa atque disparata dicitur, sed eius attributum. Sic Kernius quoque (diss. p. 8) ad versus allatos annotat: „Chaos igitur et Chronus principia sunt." Quod si hoc modo laqueos huic versui impactos enodaremus, a Chao quidem theogonia initium sumeret, sed nihil ex eo oreretur. Itaque Necessitas dea a Chao discreta atque dispesta meliore iure censetur, quae cum Chrono ex Chao antiquo nascitur. Nobis hanc interpretationem accipientibus apparet auctorem Argonauticorum cum theogonia Hieronymiana plane concinere, in qua teste Damascio Necessitas cum Chrono copulata est. Quod Orpheus hoc loco Necessitatem *διωργυιωμένην ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, τῶν περάτων αὐτοῦ ἐφαπτομένην* vocat, Argonauticorum poeta absque dubio adiectivo *ἀμέγαρτον* eandem magnitudinem exprimit.

Steuchi coniectura *ἀπειρεσίοις ὑπὸ κόλποις* omnibus fere editoribus palmaris videbatur, ut in textum reciperent, cum primo quidem conspectu ad speciem theogoniarum Orphicarum tritissimam optime quadrare videatur. Jam Aristophanes enim Noctem ovum *Ἐρέβους ἐν ἀπείροσι κόλποις* parientem inducit inque theogonia Hieronymiana Chronus ovum ponit in nido ex Aethere et Chao et Erebo formato. Sed quoniam in Argonauticis *ἀπειρεσίοισι ὑπ' ὁλκοῖς* et *ἀπειρεσίῃσιν ὑπ' ὁλκοῖς* traditum est, his verbis fides non statim deroganda, sed ad placidiora devertendum ac primum quaerendum est, num haec verba suppeditata intellegi possint. Ac profecto cum *ὁλκός* de corpore draconis (cf. Nic. Ther. vs. 266 et 316 Schn.) proculcatum sit, patet poetam hoc quoque loco theogoniam *καθ' Ἱερώνυμον καὶ Ἑλλάνικον* depeculatum esse, in qua Chronus draco deformatur (Dam. de princ. 123 bis I 317, 20 Rue.; Kern. fr. 54): *τὴν δὲ τρίτην ἀρχὴν μετὰ τὰς δύο γεννηθῆναι μὲν ἐκ τούτων, ὕδατός φημι καὶ γῆς, δράκοντα δὲ εἶναι κεφαλὰς ἔχοντα προσπεφυκυίας ταύρου καὶ λέοντος, ἐν μέσῳ δὲ θεοῦ πρόσωπον, ἔχειν δὲ καὶ*

ἐπὶ τῶν ὤμων πτερά, ὠνομάσθαι δὲ Χρόνον ἀγήραον καὶ Ἡρακλῆα τὸν αὐτόν. Praeterea Argonauticorum auctor cum theogonia Hieronymiana convenit, quod Chronus solus, non cum Necessitate Phanetem profert. Chronus igitur *ἀπειρεσίοισι ὑφ' ὁλκοῖς* Aethera et Amorem procreat. Aether quidem, ut supra ostendimus, cum in theogonia Hieronymiana tum in Rhapsodiis ex Chrono nascitur, cum Amor oriatur ex ovo a Chrono procuso. De ovo nihil legitur in Argonauticis, quamvis hoc in omnibus theogoniis Orphicis expeditis partes maximas agat iisque speciem propriam affricet, ut mihi persuadere non possim in theogonia ab Argonauticorum poeta reclusa ovum missum factum esse. Itaque quod Aether Phanesque liberi Chroni nominantur, non aliter hoc intellegendum est, quam si Phanes frr. 73 et 74 *Αἰθέρος υἱός* appellatur, ex quo tamen nemo sanus vitiose concluserit Lactantium et Proclum non ex Rhapsodiis pabulatos esse, sed ex alia theogonia oblitterata.

Ut in catalogo scriptorum Orphicorum, sic etiam in theogonia vs. 421 sqq. pronuntiata poeta Argonauticorum theogoniam Hieronymianam haud perplexe pastus est:

πρῶτα μὲν ἀρχαίου Χάεος μελανήφατον ὕμνον,
ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὥς τ' οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθε·
γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν πυθμένας τε θαλάσσης·
πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν Ἔρωτα,
ὅσσα τ' ἔφυσεν ἅπαντα, διέκριθεν ἄλλο ἀπ' ἄλλου,

in quibus versibus illos tres deos secundum theogoniam Hieronymianam ex ovo nascentes Caelum, Terram, Amorem cognoscimus. Quod hic vs. 425 multa creavisse dicitur, hoc non ad deos ab illo natos, sed potius ad animalia pertinere mihi videtur, quae ex Caelo et Terra genita esse supra suspicati sumus. Atque quod Orpheus ementitus haec ex Amore generata esse asserit, hoc nihil aliud significat, nisi Amorem ortui liberorum Caeli Terraeque quodammodo interfuisse.

Quibus paucis monitis revertamur ad theogoniam antiquissimam, cuius lineamenta ex Hieronymiana sorbilo expiscati sumus, et diligentia adhibita perquiramus, quae tradita analecta praeter supra congesta illa sibi vindicet, quodque carmen eam continuerit.

In extremo quidem pittacio scriptorum Orphicorum carmini Argonauticorum infulto duorum mentio fit, ut videtur, *Καταβάσεως εἰς Ἅιδου* et *Ἱεροῦ λόγου*

> *ἄλλα δέ σοι κατέλεξ', ἅπερ εἴσιδον ἠδ' ἐνόησα*
> *Ταίναρον ἡνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν Ἄϊδος εἴσω,*
> *ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο,*
> *ἠδ' ὅτ' ἐν Αἰγύπτῳ ἱερὸν λόγον ἐξελόχευσα,*
> *Μέμφιν ἐς ἠγαθέην πελάσας ἱεράς τε πόληας*
> *Ἄπιδος, ἃς πέρι Νεῖλος ἀγάρροος ἐστεφάνωται.*

Cum Argonauticorum poeta in Aegypto *Ἱερὸν λόγον* creavisse dicat, arbitrari videtur doctrinam in hoc opere concoctam ex Aegypto petitam esse, quae opinio ad totam doctrinam Orphicam relata apud Graecos conclamatissima fuit, ut ex variis testimoniis emergit, quae hic conferre supersedeo. Primo quidem conspectu poetam hoc ipse conflavisse atque affinxisse credideris, sed cum Herodotus quoque doctrinam in hoc carmine delineatam ex thesauris Aegyptiis superstitionibus nebulosis, ut putabatur, refertis sumptam esse explicet, Orpheus personatus in *Ἱερῷ λόγῳ* ipso legisse videtur sapientiam ibi revelatam atque detectam ex Aegypto profectam esse, ut idem, quod in versibus praecedentibus Orpheum apud inferos visa in *Καταβάσει* protulisse asseverat, hoc ex opere ipso absque dubio arcessivit. En Herodoti verba (II 81; Kern. test. 216): *οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα οὐδὲ συγκαταθάπτεταί σφι· οὐ γὰρ ὅσιον· ὁμολογέουσι δὲ ταῦτα τοῖσι Ὀρφικοῖσι καλεομένοισι καὶ Βακχικοῖσι, ἐοῦσι δὲ Αἰγυπτίοισι καὶ Πυθαγορείοισι* (*Βακχικοῖσι — Αἰγυπτίοισι* om. A B C, quod a Wilamowitzio *Glaube* II 189 n. 1 et a Rathmanno: Quaestiones Pythagoreae

Orphicae Empedocleae, diss. Hal. 1933 p. 52 sqq. immerito probatur). *οὐδὲ γὰρ τούτων τῶν ὀργίων μετέχοντα ὅσιόν ἐστι ἐν εἰρινέοισι εἵμασι θαφθῆναι· ἔστι δὲ περὶ αὐτῶν ἱρός λόγος λεγόμενος.*

Ut in Argonauticis, sic etiam in catalogo a Clemente Alexandrino (Strom. I 21, 131, 3 II 8 I, 9 Staehl.; Kern. test. 222) prolato *Ἱερὸς λόγος* cum *Καταβάσει* iungitur, quod, ut videtur, utrumque carmen eidem auctori inditum est: *τήν τε Εἰς Ἅιδου κατάβασιν Προδίκου τοῦ Σαμίου. Ἴων δὲ ὁ Χῖος ἐν τοῖς Τριαγμοῖς καὶ Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινα ἱστορεῖ. Ἐπιγένης δὲ ἐν τοῖς Περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως Κέρκωπος εἶναι λέγει τοῦ Πυθαγορείου τὴν Εἰς Ἅιδου κατάβασιν καὶ τὸν Ἱερὸν λόγον.* Sed quod opus Pythagoram Orpheo subiecisse Ion Chius Clemente et Diogene Laertio (VIII 8; *F. V.*[4] 25 B 2 D.) testibus affirmat? Si cum *Καταβάσει* semper *Ἱερὸν λόγον* conferruminatum esse et Clementem sententia Ionis relata contentionem Epigenis de utroque carmine agglutinare animis cogitamus, perspectu proclive est Ionem quoque *Ἱερὸν λόγον* spectare, quod carmen ab altero Pythagorae, ab altero Cercopi Pythagoreo assignatum est. Cum hic nuntius optime congruat cum Herodoti loco supra commemorato, ubi Orphica, quae dicantur, in *Ἱερῷ λόγῳ* exprompta revera Aegytia esse et Pythagorea iudicat, nobis rem esse cum opere Orpheo-Pythagoreo constat. Hic *Ἱερὸς λόγος* Orpheo-Pythagorei plane distinguendus est ab *Ἱερῷ λόγῳ* Pythagoreo in oratione soluta composito, cuius exordium Jamblichus (Vita Pythag. 28, 146 p. 107, 1 Nauck.; Kern. test. 249) pronuntiat: *⟨λόγος⟩ ὅδε περὶ θεῶν Πυθαγόρα τῶ Μνησάρχω, τὸν ἐξέμαθον, ὀργιασθεὶς ἐν Λιβήθροις τοῖς Θρᾳκίοις, Ἀγλαοφάμω τελεστᾶ μεταδόντος, ὡς ἄρα Ὀ. ὁ Καλλιόπας κατὰ τὸ Πάγγαιον ὄρος ὑπὸ τᾶς ματρὸς πινυσθεὶς ἔφα, τὰν ἀριθμῶ οὐσίαν ἀΐδιον εἶναι μὲν ἀρχὰν προμαθεστάταν τῶ παντὸς ὠρανῶ καὶ γᾶς καὶ τᾶς μεταξὺ φύσιος, ἔτι δὲ καὶ θείων καὶ θεῶν καὶ δαιμόνων διαμονᾶς ῥίζαν.* Lobeckius (p. 723) igitur iniuria dubitat, an Ion hunc *Ἱερὸν*

λόγον respexerit; nam hoc opus Orpheo subici nullo pacto potuit, quia in exordio operis Pythagoras se hoc carmen condidisse ipse confitetur. Etiam quod Clemens affirmat teste Ione Chio *Πυθαγόραν εἰς Ὀρφέα ἀνενεγκεῖν τινα*, his verbis non indicatur Pythagoram decreta quaedam ex doctrina Orphica petivisse, sed opera quaedam Orpheo supposuisse, cum verbo *ἀναφέρειν* falsarius significetur Clemensque exponere non studeat, qui scriptores ex mysteriis Orphicis suffurati, sed qui veri auctores carminum Orpheo sint subiectorum.

Rectissime notat de *Ἱεροῖς λόγοις* Kernius (ed. fr. p. 141): „Ab *Ἱερῷ λόγῳ* ab Epigene Cercopi ascripto distinguendum est.“ Itaque quod Suidas (Kern. test. 223) de carmine illo dicit: *Ἱεροὺς λόγους ἐν ῥαψῳδίαις κδʹ, λέγονται δὲ εἶναι Θεογνήτου τοῦ Θεσσαλοῦ, οἱ δὲ Κέρκωπος τοῦ Πυθαγορείου*, has Rhapsodias cum *Ἱερῷ λόγῳ*, quod opus silentio praeterit,permiscuisse videtur, quare hae potius Theogneto quam Cercopi auctori ascribendae fuerint. Sed quid? Si tamen *Ἱερὸς λόγος* idem opus est atque *Ἱεροὶ λόγοι*? Nam ad unum testimonium, quod adhuc ex tempore antiquiore ad partes vocavimus, — dico illud *πολυθρύλητον* Herodoteum — dubitatio ceciderit, num huc referendum sit. Itaque haud ab re duco ostendere iam Platonem *Ἱερὸν λόγον* spectavisse, cum illo tempore *Ἱεροὶ λόγοι* nondum contexti fuerint.

Ne confuse et permixtim dispergam, sed descripte et electe digeram, disputationem incoho a Platonis Leg. IV 715 e (Kern. fr. 21): *ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. τῷ δ' ἀεὶ ξυνέπεται Δίκη τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός*, ad quem locum scholiastes notat (p. 451 Bekk.): *θεὸν μὲν τὸν δημιουργὸν σαφῶς, παλαιὸν δὲ λόγον λέγει τὸν Ὀρφικόν, ὅς ἐστιν οὗτος·*

Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται·
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Quos versus cum aliis iunctos in Ps.-Aristotelis opere *Περὶ κόσμου* reperimus et ex Rhapsodiis a Neoplatonicis saepius allatos. Sed hanc scholiastae sententiam plurimi critici recentiores iniuria amplexati sunt, cum in cassum quaeramus, quibus tandem ex causis hos simili modo, quo Plato, Ps.-Archytas (Jambl. Protrept. 4 p. 23, 3 Pist.; Kern. fr. 21 a p. 93 supr.): *ὁ θεὸς ἀρχά τε καὶ τέλος καὶ μέσον ἐντὶ πάντων τῶν κατὰ δίκαν τε καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον περαινομένων* et Josephus (contr. Apion. II 190 p. 273, 12 Naber): *ὁ θεὸς ἔχει τὰ πάντα παντελὴς καὶ μακάριος, αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ πᾶσιν αὐτάρκης, ἀρχὴ καὶ μέσα καὶ τέλος οὗτος τῶν πάντων* (cf. Weinreich. *A. R. W.* XIX 180) circumscripserint. Quae opinio carmine *Διαθηκῶν* collato, ubi eadem verba inveniuntur, adeo non decolat, ut optime confirmetur; in redactione enim Aristobuliana vs. 29 sqq. (ap. Euseb. Praep. evang. XIII 12 II 192, 20 Dind.; Kern. fr. 247) legimus:

αὐτὸς δὴ μέγαν αὖθις ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται
χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ· γαίη δ' ὑπὸ ποσσὶ βέβηκε·
χεῖρα δὲ δεξιτερὴν ἐπὶ τέρμασιν Ὠκεανοῖο
ἐκτέτακεν· ὀρέων δὲ τρέμει βάσις ἔνδοθι θυμῷ,
οὐδὲ φέρειν δύναται κρατερὸν μένος. ἔστι δὲ πάντῃ
αὐτὸς ἐπουράνιος, καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ,
ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσσην ἠδὲ τελευτήν,
ὡς λόγος ἀρχαίων.

Si quidem hos Testamenti versus obiter legimus, deum omnes partes mundi regentem haec verba indicare fortasse videntur; sed quis infitias ierit Testamenti versu 35 *ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσσην ἠδὲ τελευτήν* praecedentia *καὶ ἐπὶ χθονὶ πάντα τελευτᾷ* illustrari, ita ut deum initium, medium, finem omnium rerum habere dicatur, quod omnes res efficit. Quae explicatio ceteris testimoniis ad liquidum perducitur, cum verbis illis Platonicis eodem modo exponatur, cur deus *εὐθείᾳ περαίνει*, et Ps.-Archytas deum esse initium, medium, finem astruat non mundi, sed *πάντων τῶν κατὰ δίκαν τε καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον περαινομένων.*

Auctor Testamenti non modo vs. 35, sed hos omnes versus citatos ex eodem carmine, quo Plato, mutuatus esse videtur, neque Gruppei sententiae suffragor, qui (*Die rhapsodische Theogonie und ihre Bedeutnng innerhalb der orphischen Literatur, Jahrbücher der Klass. Philologie Suppl.* XVII 1890 p. 711) vs. 32 *ὀρέων δὲ τρέμει βάσις ἔνδοθι θυμῷ* ex Psalm. 18, 8 profectum esse censet. Etiam quod idem Gruppeus carmen Orphicum, ex quo Ps. Demosthenes (XXV 11; Kern. fr. 23: *καὶ σεμνὴν Δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀ. παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην*) manticulatus sit, ab illo, quod Plato ad usum suum converterit, differre asserit, quia Plato Justitiam Jovem subsequi dicat, cum Ps. Demosthenes eam iuxta solium Jovis sedere autumet, hanc suspicionem procul vero esse vel ex Testamento exstat, cuius auctor Jovem cum sedere (vs. 30: *χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ*) tum circumire (vs. 11: *περινίσσεται*) scribit. Cum autem Justitia semper apud deum summum versetur, mirari non subest, si Juppiter circumeat, Justitiam circumire, si hic sedeat, illam sedere.

Mirum in modum verba *λόγος ἀρχαίων,* quae vs. 36 inveniuntur, Platonis *παλαιὸν λόγον* in memoriam redigunt, ut praestigiator ex Platone ipso praedatus esse fere videatur, id quod nullo modo comprobari potest, quod complures alii loci cum Platone congruunt, quos omnes ex Platone poetam corrasisse et in ipsius carmen recepisse credi vix potest. Vs. 9 quoque Testamenti *παλαιὸς λόγος* reperitur et vel hac ex causa versum 10: *εἷς ἔστ' αὐτοτελής, αὐτοῦ δ' ὕπο πάντα τελεῖται* carmini Orphico a Platone quoque lecto infarcire non dubito; accedit, quod altera pars cum versu secundo illius hymni Orphici a Rhapsodiis suppeditati (fr. 21 a) conspirat: *Διὸς δ' ἐκ πάντα τελεῖται.* Sed simul cogitationem ad differentiam intendere non alienum est, quae inter Rhapsodiarum et Testamenti versus intercedit: cum auctor Rhapsodiarum *ἐκ Διός* omnia confici asseveret, quibus verbis pantheismus, quem dicunt, dilucide nuntiatur, auc-

tores Testamenti et operis Orphici, ex quo ille delibavit, monotheismum quendam exprimentes *ὑπὸ Διός* omnia effici dicunt.

Quoniam vs. 11 *ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς περινίσσεται* carmini Orphico ascripsimus, haud scio an versus insequentes quoque ei inculcandi sint. Quamquam verba ab Aristobulo subministrata:

οὐδέ τις αὐτὸν
εἰσοράᾳ ψυχῶν θνητῶν, νῷ δ' εἰσοράαται

confodio et offucias censeo interpolatoris, tamen Ps.-Justino fidem habeo, qui haec praebet (de mon. c. 2, 105 a III 134 Otto; Kern. fr. 245):

οὐδέ τις αὐτὸν
εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται.

Etiam versus 13—15 quominus carmini Orphico, in quo Justitiam apud Jovem versari dicitur, obtrudam, nihil obstat:

αὐτὸς δ' ἐξ ἀγαθῶν θνητοῖς κακὸν οὐκ ἐπιτέλλει
ἀνθρώποις· αὐτοῖς δὲ χ' Ἔρις καὶ Μῖσος ὀπηδεῖ,
καὶ Πόλεμος καὶ Λοιμὸς ἰδ' Ἄλγεα δακρυόεντα.

Sed versus insequentes 16—28 commenta ventosa iudico a nebulone Judaeo affixa, quibus neminem nisi Chaldaeum deum videre garrulitate mirabili copiosius atque longius exponitur. Porro si a Platone lex divina affertur: *Δίκη, τῶν ἀπολειπομένων τοῦ θείου νόμου τιμωρός,* quis negaverit auctorem Testamenti vs. 2 scribentem: *θείοιο τεθέντος πᾶσι νόμου* eundem locum carminis Orphici spectare? Haud scio an vs. 6 quoque Testamenti: *εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας τούτῳ προσέδρευε* nonnulla ex antiquissimo carmine Orphico immixta sint, cum Ps.-Archytas l. l. dicat: *τῶν κατὰ δίκαν τε καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον περαινομένων,* quibus in verbis, quod *λόγος* vocatur *ὀρθός,* cum ad vs. 4 nos admonet: *ἐξερέω γὰρ ἀληθέα* tum ad Aves Aristophanis vs. 690: *ἵν' ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν ὀρθῶς περὶ τῶν μετεώρων* atque 692 *εἰδότες ὀρθῶς,* quibuscum versibus Dieterichius (*Kleine Schriften* 123 n. 1)

vocem Orphicam subaudiens haud sine ratione composuit Nubes vs. 250: *βούλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σαφῶς, ἅττ' ἐστὶν ὀρθῶς;* Nonne verisimile est omnes hos locos ex eodem carmine Orphico depromptos esse? Quid? quod versus primus Testamenti *φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι* a Platone in Convivio 218 b (Kern. fr. 13) adumbratur: *οἱ δὲ οἰκέται, καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶν βέβηλός τε καὶ ἄγροικος, πύλας πάνυ μεγάλας τοῖς ὠσὶν ἐπίθεσθε*, et fortasse eidem carmini debet Plato, quod Musaeum *Σελήνης ἔκγονον* (Res publ. II 364 e; Kern. fr. 3) appellat, praesertim cum Testamenti auctor ad hunc Orphei discipulum sic se convertat (vs. 3): *σὺ δ' ἄκουε, φαεσφόρου ἔκγονε Μήνης*.

Cum et Plato et Testamenti auctor *παλαιὸν λόγον* allegent, cogitatio subiest *Ἱερὸν λόγον*, in quo restituendo desudamus, hoc carmen existimandum esse. Sed haec esset mera coniectura nullius pretii, nisi cum Clemens tum Aristobulus ipsi *Ἱερὸν λόγον* ad partes vocarent. Clemens enim Testamentum nominat „verum" *Ἱερὸν λόγον* (Protrept. VII 74, 3; 56, 14 Staehl.; Kern. fr. 246): *ὁ δὲ Θρᾴκιος ἱεροφάντης καὶ ποιητὴς ἅμα, ὁ τοῦ Οἰάγρου Ὀ., μετὰ τὴν τῶν ὀργίων ἱεροφαντίαν καὶ τῶν εἰδώλων τὴν θεολογίαν, παλινῳδίαν ἀληθείας εἰσάγει, τὸν ἱερὸν ὄντως ὀψέ ποτε, ὅμως δ' οὖν ᾄδων λόγον*; et Aristobulus dicit (apud Euseb. praepar. evang. XIII 12, 3; II 191, 20 Dind.; Kern. fr. 247): *ἔτι δὲ καὶ Ὀ. ἐν ποιήμασι τῶν κατὰ τὸν ἱερὸν λόγον αὐτῷ λεγομένων οὕτως ἐκτίθεται περὶ τοῦ διακρατεῖσθαι θείᾳ δυνάμει τὰ πάντα καὶ γενητὰ ὑπάρχειν, καὶ ἐπὶ πάντων εἶναι τὸν θεόν*. Quae testimonia ad coniecturam meam approbandam sufficere reor, sed abunde Plutarchus quoque testis est versum primum, qui etiam legebatur (Kern. fr. 334): *ἀείσω ξυνετοῖσι· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι* in *Ἱερῷ λόγῳ* scriptum fuisse (Quaest. Sympos. II 2, 2 p. 636 d; Kern. p. 143 med.): „*ἀείσω ξυνετοῖσι*" *τὸν Ὀρφικὸν καὶ ἱερὸν λόγον*. Noli increpare me nondum persuasisse *Ἱερὸν λόγον* a Clemente et Aristobulo allatum sine dubio illum esse putandum, quocum nobis in hoc capite res sit,

nam praeterquam quod non traditum est complura carmina hoc titulo inscripta fuisse, ad hoc carmen relegamur Orpheo-Pythagoreum, quod ille versus Testamenti Pythagorae quoque inducitur, sive auctor Ἱεροῦ λόγου doctrinam Pythagoream, cuius hic versus fortasse proprius fuit, depeculatus, sive is, qui eum Pythagorae affixit, Pythagoram Ἱερὸν λόγον pepigisse cum Ione Chio arbitratus est (Stob. Flor. III 41, 9 III 759, 3 H.): Πυθαγόρου „Ἀείσω . . . βέβηλοι“.

Vel ex titulo recte concluseris hoc carmen theogoniam praebuisse, cum Ἱεροῖς λόγοις quoque recentioribus theogonia in Rhapsodias distributa consignata sit, quae somniis Neoplatonicorum nimium fere pabulum dedit. Quae sententia locis Testamenti dialogorumque Platonicorum comparatis atque collatis non paulum fulcitur, sed illo loco Plutarchi considerato exactoque firmissima fit: „ἀείσω ξυνετοῖσι“ τὸν Ὀρφικὸν καὶ ἱερὸν λόγον, ὃς οὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ᾠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλαβὼν ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἁπάντων ὁμοῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι, quibus in verbis Plutarchus ovum cosmogonicum perstringit. Atque quod idem Plutarchus doctrinae Orphicae vel Pythagoreae ovum adnumerat, hoc quoque ad Ἱερὸν λόγον pertinet, qui etiam Pythagorae assignatus est (Quaest. sympos. II 3, 1 p. 635 e; Kern. fr. 291 p. 301 infr.): ὑπόνοιαν μέντοι παρέσχον . . . ἐνέχεσθαι δόγμασιν Ὀρφικοῖς ἢ Πυθαγορικοῖς, καὶ τὸ ᾠόν, ὥσπερ ἔνιοι καρδίαν καὶ ἐγκέφαλον, ἀρχὴν ἡγούμενος γενέσεως ἀφοσιοῦσθαι. Itaque licebit huic carmini omnes locos supra conflatos attribuere, qui theogoniam Orphicam antiquissimam redolent. Sed praeter hanc theogoniam aliae lucubratiunculae ibi revelatae esse debent, quae doctrinam Pythagoream sapiunt, ne ignoretur, quomodo opus Orpheo addictum Pythagorae aut Cercopi Pythagoreo vero auctori indi potuerit. Cum autem Pythagorae esse praecipue animarum migratio et de numeris doctrina existimarentur, exquirendum est, num hae scientiae reconditae in Ἱερῷ λόγῳ reclusae sint.

Ac Plato quidem dicit (Phaedo 70 c; Kern. fr. 6) *σκεψώμεθα δὲ αὐτὸ τῇδέ πῃ, εἴτ' ἄρα ἐν Ἅιδου εἰσὶν αἱ ψυχαὶ τελευτησάντων τῶν ἀνθρώπων εἴτε καὶ οὔ. παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος, οὗ μεμνήμεθα, ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων.* Cum eadem vox *παλαιὸς λόγος* a Platone in Legibus usurpetur loco, quo ex *Ἱερῷ λόγῳ* eum pendere evicimus, hunc scriptorem illud fragmentum ex hoc opere Orphico surripuisse nonne verisimile est? Idem iudicandum est de Platonis Phaedone 62 b (Kern. fr. 7): *ὁ μὲν οὖν ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος,* (quibus verbis *Ἱερὸν λόγον* circumscribere videtur), *ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδ' ἀποδιδράσκειν.* Atque quod in Cratylo 400 c (Kern. fr. 8) Plato corpus animae *σῆμα* esse perhibet, Pythagorei ipsi hanc sententiam Orphicis imputant, quorum assecla Philolaus dicit (*F. V.*[4] 32 B 14 D.; Kern. fr. 8 p. 85 med.): *μαρτυρέονται δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ θεολόγοι τε καὶ μάντιες, ὡς διά τινας τιμωρίας ἁ ψυχὰ τῷ σώματι συνέζευκται καὶ καθάπερ ἐν σάματι τούτῳ τέθαπται.* Haud scio an hic quoque *Ἱερὸν λόγον* respiciat, qui ab impostore Pythagoreo Orpheo suppositus est. Accedit quod Plato ipse in epistola septima (335 a; Kern. fr. 10) immortalitatem animae ad *Ἱερὸν λόγον* refert: *πείθεσθαι δὲ ὄντως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις, οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι δικαστάς τε ἴσχειν καὶ τίνειν τὰς μεγίστας τιμωρίας, ὅταν τις ἀπαλλαχθῇ τοῦ σώματος,* quibus in verbis in plurali numero (*ἱεροῖς λόγοις*) non offendas, quoniam *Ἱεροὶ λόγοι* in Rhapsodias divisi nullo pacto intellegi possunt. Quibus demonstratis etiam Aristotelis frusta Orphica ad animas pertinentia huic carmini inserere licebit (de anima A 5, 410 b 28; Kern. fr. 27): *καὶ ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ἔπεσι καλουμένοις λόγος· φησὶ γὰρ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι ἀναπνεόντων, φερομένην ὑπὸ τῶν ἀνέμων* et fortasse (de gener. anim. B 1, 734a 17; Kern. fr. 26): *ὥσπερ ἐν τοῖς καλουμένοις Ὀρφέως ἔπεσιν· ἐκεῖ γὰρ ὁμοίως*

φησὶ γίγνεσθαι τὸ ζῷον τῇ τοῦ δικτύου πλοκῇ. Quod ad fr. 27 Philoponus annotat (Kern. p. 96 sup.): λεγομένοις εἶπεν, ἐπειδὴ μὴ δοκεῖ Ὀρφέως εἶναι τὰ ἔπη, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς Περὶ φιλοσοφίας λέγει· αὐτοῦ μὲν γάρ εἰσι τὰ δόγματα, ταῦτα δέ φασιν Ὀνομάκριτον ἐν ἔπεσι κατατεῖναι, non ex Aristotele ipso hoc petivisse, sed potius recentiorum sententiam reddere videtur, cum, si ab Aristotele prolata esset, conclamatior fuisset haec contentio, quae apud solum Tatianum (Kern. test. 183), fortasse apud Sextum Empiricum quoque (Kern. test. 191: Ὀνομάκριτος δὲ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς) reperitur. Adice, quod φασίν = „ferunt" traditum est, non φησίν. Eundem locum operis Aristotelici Περὶ φιλοσοφίας, ubi teste Philopono carmina ementita Orpheo eripiuntur, Cicero respicere videtur (de nat. deor. I 38): „Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis." Cum Philopono maior fides adiungenda sit, qui, si minus opera, at tamen doctrinam Orphei esse contendit, sane certum est Aristotelem non infitias iisse Orpheum vixisse, sed Cicero ipse, qui opus Aristotelicum manibus non tractavit, ut ex eo patescit, quod cum Philodemo de piet. p. 72 Gomp. conveniens de nat. deor. I 13, 33 eundem librum ad partes vocat (cf. Dieles. Doxographi Graeci p. 539), hoc compegisse videtur, quod Aristoteles carmina Orphica Orpheo eximebat. Porro ex verbis Ciceronianis satis apparet Cercopem auctorem esse non apud Aristotelem lectum, sed ab aliis divinatum esse. Denique Cicero non dicere vult omnia carmina a Cercope concinnata esse, sed illud carmen, quo Aristoteles utatur („hoc carmen"). Qua argumentatione Aristotelem ex Ἱερῷ λόγῳ hausisse probavimus, qui a Clemente Cercopi Pythagoreo inditur. (Aliter de his locis Lobeckius p. 348, Schuster p. 54.)

Adhuc semper de Orpheo-Pythagoreo Ἱερῷ λόγῳ dixi; sed quid? si in hoc carmine doctrina Pythagorea non exarata fuit, et omnia fere Pythagoreis tributa revera Orphica sunt,

ut Rathmannus in diss. citata nuperrime opinatus est, quo approbato non mirum esset, si recentiores hoc opus Orphicum Pythagoreis vindicarent? Sed huic sententiae fidem demit primus testis Herodotus, qui illum *Ἱερὸν λόγον* Orphicis abiudicare videtur; praeterea opinio illa ad irritum cadet, si hoc carmen scita atque decreta amplexum esse ostenderimus, quae omnibus astipulantibus disciplinae Pythagoreae assignantur, dico de numeris.

Jam Lobeckius opus, ex quo scobes a Kernio titulo *Εἰς τὸν Ἀριθμὸν Ὕμνος* inscriptae scobinis posteriorum delimatae sunt, et Orpheo et Pythagorae ascribi miratus quaestionem movit, num hic hymnus in *Ἱερῷ λόγῳ* conscriptus fuerit, qui et ipse cum Orpheo tum Pythagorae datur; sed hoc negavit, quod Proclus compluribus locis de Orphico et Pythagorico hymno loquitur et Simplicius verba *ἀριθμὸν ὑμνοῦντες* usurpat. Quidni autem, quamvis fortasse a Neoplatonicis separatus lectitatus sit, hic hymnus maiori operi ab incunabulis infusus fuerit? Tamen patrocinarer Lobeckio, nisi me certissima argumenta hunc hymnum *Ἱερῷ λόγῳ* emetiri cogerent. Ac primum quidem quod Ion Chius teste Clemente in *Τριαγμοῖς*, in quorum initio auctore Harpocratione omnia tria esse autumatur: *πάντα τρία καὶ οὐδὲν πλέον ἢ ἔλασσον τούτων τῶν τριῶν* (*F. V.*[4] 25 B 1 D.), *Ἱερὸν λόγον* Pythagorae addixit, vel propterea manifestum est etiam in hoc carmine de numeris dissertum fuisse, quod haud scio an ille aggesserit, ut sententiam suam de triade confirmaret. Ad idem carmen perducimur, si de triade tres locos Aristotelis, Theonis Smyrnaei, Hermiae conferimus, ex quorum numero Herm. in Plat. Phaedr. 248a p. 157, 16 Couvr. (Kern. fr. 310 p. 321 infr.) hymno de numeris sine dubio immittere licet: *καὶ γὰρ πᾶν ἁπλῶς ὃ ἂν ἅπαξ ἀπὸ τοῦ πρώτου προέλθῃ, τριαδικὸν ὀφείλει εἶναι. τέλειον γὰρ ὂν πρῶτα καὶ μέσα καὶ τέλη ἕξει κατὰ τὸ λόγιον „τριὰς κατὰ πάντα μετροῦσα“*, quibuscum verbis mirum in modum consonant Aristot. de caelo I 1, 268 a 9: *τὰ τρία πάντα*

— *καθάπερ γάρ φασι καὶ οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται· τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός, ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος* et Theo Smyrnaeus expos. rer. mathem. p. 100, 14 Hiller: *(ἡ τριὰς) πρώτη ἀρχὴν καὶ μέσα καὶ τελευτὴν ἔχει. διὸ καὶ πρώτη λέγεται πάντα εἶναι· ἐπὶ γὰρ ἐλαττόνων αὐτῆς οὐ λέγεται πάντα εἶναι, ἀλλὰ ἓν καὶ ἀμφότερα.* Cum verba illa a Platone allata *ἀρχὴ καὶ μέσα καὶ τελευτή* ab his omnibus auctoribus attingantur, hos tres locos *Ἱερῷ λόγῳ* addicendos esse verisimile est, ubi verba illa praeter Jovem triadi quoque data fuisse videntur.

Joannes Lydus (de mens. II 8 p. 25, 21 W.; Kern. fr. 310), ut illustret, *ὅτι πάντων ἄρχει τῶν ἀριθμῶν ἡ τριάς* apponit *καὶ τρεῖς πρῶται κατ' Ὀρφέα ἐξεβλάστησαν ἀρχαὶ τῆς γενέσεως, νὺξ καὶ γῆ καὶ οὐρανός, θεῶν δὲ τῶν ἐν γενέσει τρία γένη, οὐράνιον καὶ ἐπίγειον καὶ τὸ μεταξὺ τούτων.* Schuster (diss. p. 16) haec verba theogoniae Eudemianae iure infulsit et sic interpretatus est: „Scilicet verborum Eudemi (rectius: Lydi) sensus non est, Orpheum statim ab initio tria simul principia posuisse, Noctem, Terram, Coelum, sed ex Nocte tamquam matre Coeli et Terrae syzygiam ortam finxisse." Kernius, qui huic interpretationi repugnat (diss. p. 55), hoc concludit: „Quo autem ex libro Lydus Orphei illa tria elementa sumpserit dicere nequeo, sed veri haud dissimile est eundem Orphei librum fuisse, unde multa de numeris Lydus excerpserit, quae ad hymnum quendam Pythagoreum pertinere Lobeckius non sine causa coniecit." Nunc perspicimus utrumque virum doctissimum verum cognovisse, cum hymnus Pythagoreus pars *Ἱεροῦ λόγου* fuerit, in quo etiam theogoniam Eudemianam descriptam esse supra demonstravimus.

De tetrade legimus apud Syrianum (in Aristot. Met. M 4, 1078 b 12 p. 106, 14 Kroll.; Kern. fr. 315): *πῶς οὖν κατ' αὐτοὺς ὑφέστηκε τὰ εἴδη τοὺς ⟨τῆς⟩ ἀληθείας φιλοθεάμονας; νοητῶς μὲν καὶ τετραδικῶς ἐν τῷ αὐτοζῴῳ,* porro apud

Proclum (in Plat. Rem publ. II 169, 28 Kr.; Kern. fr. 315 p. 323 med.): *ἔστιν δὲ τετρὰς ἡ Διονυσιακὴ θεότης, τετραυγέα τετρακέρατον μυριάκις τῆς Ὀρφικῆς θεολογίας τὸν θεὸν ὑμνούσης*, quibus ex verbis absque dubio efficitur, ut hic numerus Phaneti consecratus sit. Phanes enim *αὐτοζῷον* Neoplatonicum est et vox *τετραυγής* fragmentum 76 in memoriam refricat, ubi de hoc deo legitur: *τετράσιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα. τετρακέρατος* quidem non expresse de Phanete traditum est, sed in theogonia Hieronymiana ei capita tauri assignantur (Dam. de princ. 123 bis I 318, 21 Rue.; Kern. fr. 54): *ὃς ἐν μὲν ταῖς λαγόσι προσπεφυκυίας εἶχε ταύρων κεφαλάς*, quibus in capitibus etiam cornua fuerint, et Proclus Rhapsodias secutus (in Plat. Tim. 30 c, d; I 427, 24 D.; Kern. fr. 79) de eo versum afferens a Diehlio sic emendatum *βρίμας ταυρείους ἀφιεὶ⟨ς⟩ χαροποῦ τε λέοντος* dicit (I 429, 26 D.; Kern. fr. 81): *διὸ καὶ ὁλικώτατον ζῷον ὁ θεολόγος ἀναπλάττει κριοῦ καὶ ταύρου καὶ λέοντος καὶ δράκοντος αὐτῷ περιτιθεὶς κεφαλάς* ... Quare sententiam Rohdei repudio, qui *τετρακέρατος* ad Zagreum pertinere arbitratur, quod hic a Nonno Dionys. VI 165 *κεροὲν βρέφος* compelletur. Ceterum hac argumentatione coniectura mea supra prolata optime adminiculatur, qua Phanetem *Ἱερῷ λόγῳ* adiudicavi; nam si hic deus in hymno de numeris cum theogonia eiusdem operis complexu conferruminato infuit, quis tandem eum theogoniae abrogaverit? Hunc hymnum autem revera partem *Ἱεροῦ λόγου* fuisse patet ex versibus a Syriano l. l. praebitis, in quibus homines *γηγενέες* vocantur, quam doctrinam illi carmini Orpheo-Pythagoreo supra inculcavimus.

De enneade tradit (Jamblichus) Theol. Arithm. IX 58 p. 78, 6 de Falc. (Kern. fr. 314): *Κουρῆτιδα δὲ ἰδίως καὶ Ὀ. καὶ Πυθαγόρας αὐτὴν τὴν ἐννεάδα ἐκάλουν ἅτε Κουρήτων ἱερὰν ὑπάρχουσαν τριῶν τριμερῆ ἢ Κόρην γε, ἅπερ ἀμφότερα τριάδι ἐφηρμόσθη τρὶς τοῦτο ἐχούσῃ.* In propatulo est poetam *κόρην* non Proserpinam, sed Minervam intellegere, quae in Rhapsodiis ductrix Curetum audit (fr. 185: *ἡγεμὼν τῶν Κουρήτων,*

fr. 186: *οἱ πρώτιστοι Κούρητες ... τῇ τάξει τῆς Ἀθηνᾶς ἀνεῖνται*). Noli asseverare ex hac congruentia cum Rhapsodiis effici, ut hymnus in recentiore memoria excusus sit, cum iam Plato in *Ἱερῷ λόγῳ* similia evolvisse videatur, cuius partem hunc hymnum putandum esse coniecimus (Leg. VII 796 b; Kern. fr. 19): *οὐδ' ὅσα ἐν τοῖς χοροῖς ἐστιν αὖ μιμήματα προσήκοντα μιμεῖσθαι παρετέον, κατὰ μὲν τὸν τόπον τόνδε Κουρήτων ἐνόπλια παίγνια, κατὰ δὲ Λακεδαίμονα Διοσκόρων. ἡ δὲ αὖ που παρ' ἡμῖν κόρη καὶ δέσποινα, εὐφρανθεῖσα τῇ τῆς χορείας παιδιᾷ οὐκ ᾠήθη δεῖν ἀθύρειν, πανοπλίᾳ δὲ παντελεῖ κοσμηθεῖσα, οὕτω τὴν ὄρχησιν διαπεραίνειν,* quibus in verbis Kernius errore miro offrenatus *κατὰ τὸν τόπον τόνδε* ad Athenas refert, quae procul dubio Cretam significant. Sed Gruppeus (p. 714) his Platonis verbis ad sententiam illam Orphicam alludi iniuria infitias it: „*Eine Anspielung auf Orpheus oder auch nur auf ein altes Gedicht liegt in den Worten nicht, der Sinn ist einfach dieser: Auch die bewaffneten Tänze muß man pflegen, wie sie hier in Kreta die Kureten, in Sparta die Dioskuren, bei uns in Athen wiederum der Athena zu Ehren gefeiert werden.*“ Quam interpretationem annuo, sed tamen contendo Platonen ad Orphica spectare; nam cur Minervam *κόρην καὶ δέσποιναν* vocaverit, nisi ut concentum consonantiamque cum *Κουρήτων* exprimat? Neque igitur ignorat Minervam cum Curetibus connexam fuisse, quam coniunctionem Orphicam esse ex hymno Pythagoreo et ex Rhapsodiis recentioribus certissime cogitur.

De dodecade profert Proclus in Plat. Rem publ. 614 d II 121, 8 Kr. (Kern. fr. 316): *τὴν μεγίστην θεὸν Ἑκάτην τὰ πέρατα τῶν ἐγκοσμίων συγκλείουσαν καὶ διὰ τοῦτο κληδοῦχον ἀποκαλουμένην τὰ δωδέκατά φησιν ὁ θεολόγος τοῦ κόσμου κληρώσασθαι.* Quod Joan. Lydus dicit (de mens. I 15 p. 9, 4 W.; Kern. ibid.): *ὀρθῶς οὖν αὐτὴν ὁ Φιλόλαος δεκάδα προσηγόρευσεν ὡς δεκτικὴν τοῦ ἀπείρου, Ὀ. δὲ κλαδοῦχον, ἐξ ἧς ὡσεὶ κλάδοι τινὲς πάντες οἱ ἀριθμοὶ φύονται,* Byzantinus erroribus implicatus est, cum quod de decade loquitur, tum

quod decadem *κλαδοῦχον* nominat. Hoc nomen enim ab Jo. Lydo scriptum neque cum B *κλειδοῦχον* recipiendum esse, patet non modo ex interpretatione, in qua *κλάδοι* commemorantur, sed etiam ex Georg. Cedreno (Hist. comp. I p. 297, 7 Bekk.), qui et ipse *κλαδοῦχον* praebet. Orpheus autem nullo modo, cum dodecadem Hecatae adiungeret, sic scribere potuit, sed haec vox erroribus Byzantinorum nititur, quos librum ipsum oculis vix usurpavisse iam Lobeckius (p. 717) coniectura auguratus est. Ex quo auctore, quem Nigidium Figulum esse Zeller *Kl. Schr.* II 153 n. 3 praepropere suspicatur, petiverint, ex Jo. Lydo de mens. IV 42 p. 99, 18 W. (Kern. fr. 291) disceptari potest, ubi ad Heraclidem Ponticum (cf. Voss. De Heraclidis Pontici vita et scriptis fr. 94 p. 88) haec sententia revocatur: *ὁ δὲ Ποντικὸς Ἡρακλείδης φησίν, ὡς εἴ τις τὸν κύαμον ἐν καινῇ θήκῃ ἐμβαλὼν ἀποκρύψει τῇ κόπρῳ ἐπὶ τεσσαράκοντα πάσας ἡμέρας, εἰς ὄψιν ἀνθρώπου σεσαρκωμένου μεταβαλόντα τὸν κύαμον εὑρήσει, καὶ διὰ τοῦτο τὸν ποιητὴν φάναι· „ἶσόν τοι κυάμους τε φαγεῖν κεφαλάς τε τοκήων“*, quibus in verbis *ποιητής* citatus Orpheus existimandus est. Cum omnia cetera frusta Orphica a Joa. Lydo congesta ex *Ἱερῷ λόγῳ* delibata esse viderimus, hic versus quoque indidem sumptus esse videtur; nam Lydi versus de mens. III 8 p. 41, 10 W. (Kern. fr. 353) allati a Kernio „Spuriis vel Dubiis“ optimo iure illati sunt, quamquam Olympiodorus quartum versum Orpheo inducit. Sed haud scio an hic versus in Rhapsodiis fuerit et ab his in oraculum translatus sit, cui Joa. Lydus versus illos (*ὡς τὰ λόγιά φασι*) infarcit. Profecto versum ab Heraclide Pontico commemoratum *Ἱερῷ λόγῳ* deberi cum ex Eustath. ad Iliad. N 589 p. 948 ed. Rom.; III p. 173, 5 ed. Lips.: *γράφουσιν οἱ παλαιοὶ ὅτι τοὺς κυάμους ὡς μέλανας οὐκ ἐσθίουσιν οἱ ἱερεῖς, οἷς καὶ λόγον φασὶν εἶναι ἱερὸν τοιοῦτον· „ἶσον . . .*, tum ex Plutarcho in promptu est, apud quem (Quaest. Symp. II 3, 1 p. 635 e; Kern. fr. 291 p. 301 infr.) Alexander Epicureus eundem versum vetustatis laude conspicuum su-

gillat: *ὑπόνοιαν μέντοι παρέσχον . . . ἐνέχεσθαι δόγμασιν Ὀρφικοῖς ἢ Πυθαγορικοῖς, καὶ τὸ ᾠόν, ὥσπερ ἔνιοι καρδίαν καὶ ἐγκέφαλον, ἀρχὴν ἡγούμενος γενέσεως ἀφοσιοῦσθαι· καὶ προὔφερεν Ἀλέξανδρος ὁ Ἐπικούρειος ἐπὶ γέλωτι τό· „ἶσόν τοι κυάμους ἔσθειν, κεφαλάς τε τοκήων", ὡς δὴ κυάμους τὰ ᾠὰ διὰ τὴν κύησιν αἰνιττομένων τῶν ἀνδρῶν, διαφέρειν δὲ μηδὲν οἰομένων τὸ ἐσθίειν ᾠὰ τοῦ χρῆσθαι τοῖς τίκτουσι τὰ ᾠὰ ζῴοις.* Mihi cogitanti Clementem Alexandrinum (Strom. III 3, 24 II 206, 24 Staehl.; Kern. fr. 291 p. 302 supr.) tertiam interpretationem exhibere, cur Orpheus putet *κυάμους ἔσθειν* esse „parentum capita edere" (*ὅτι ἀνθρώπου κεφαλῇ ἀπείκασται κύαμος*), constat has explicationes potius rivulis quam fonti ipsi deberi.

Sequitur, ut cum migratione animarum *Καθαρμοί* fortasse congregati fuerint; nam dubitationi obnoxium censeo, num separatum carmen lustrale fuerit, ut Kernio placuit, praesertim cum neque a Suida neque a Clemente talis operis mentio fiat. Ex Hieronymo quoque (adv. Jovinum II 14 II 1, 344 c Vall.; Kern. p. 301 supr.) hoc minime elici potest: „Orpheus in carmine suo esum carnium penitus detestatur", quibus ex verbis potius concluserim auctorem unum tantum carmen Orphicum cognovisse, in quo praeter alia *Καθαρμοί* infuerint. Haud scio an propterea alterum fragmentum quoque, quod Kernius huic carmini infixerit, ex illo *Ἱερῷ λόγῳ* manaverit; nam antiquissimo tempore illud celeberrimum fuisse perspicitur ex imitatione Critiae et Moschionis, et esum carnium vetitum esse Platoni quoque notum est (Leg. VI. 782 c; Kern. test. 212). Huic parti *Ἱεροῦ λόγου* etiam illud Herodoteum inserere licebit, quo ei praecepta de vestibus tribuuntur. Sane Suidas Hierostolicorum mentionem inicit, quae in Triagmis Ionis conscripta fuisse affirmat: *ἔγραψε* (sc. Orpheus) *τριαγμούς· λέγονται δὲ εἶναι Ἴωνος τοῦ Τραγικοῦ. ἐν δὲ τούτοις τὰ Ἱεροστολικὰ καλούμενα.* Sed quod Hierostolica partem Triagmorum fuisse somniat, ad hanc sententiam pertinet summa erroris suspicio, in

quem quomodo raptus sit, sciscitari posse mihi videor. Ac primum quidem Suidas, cui Kernius (ed. fr. p. 318) iniuria fisus est, in scriptis Orphicis Ionis Triagmos falso numeravit, in quibus opus, quod *Ἱερὸν λόγον* esse supra ostendimus, a Pythagora Orpheo subiectum esse expositum fuit. Quem nuntium alicunde decerptum male intellexit et pro *Ἱερῷ λόγῳ* Pythagoreo Ionis Triagmos posuit, ita ut Hierostolica, quae operi illi Orpheo-Pythagoreo adiuncta fuerunt, pars Triagmorum esse viderentur.

Caput II.

De doctrina Orphica antiquissima.

Aristophanes, quem Av. 693 sqq. (Kern. fr. 1) *Ἱερὸν λόγον* Orpheo-Pythagoreum ad usum suum convertisse in capite praecedente evicisse nobis videmur, Amorem-Phanetem ab Orphicis posterioribus lucis deum absque dubio putatum alis tantum ornatum describit:

696 *ἐξ' οὗ* (sc. ex ovo) *περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,*
στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις.

Noli dicere Aristophanem et theogoniam Orphicam in *Ἱερῷ λόγῳ* delineatam, ut Hesiodeam, non lucis, sed amoris deum depingere, cum verba *εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις* ad deum lucis pertineant, qui celeritate venti per auras volat. *δίνη* vel *δίνευμα* proprie de caelestibus per aethera currentibus tritum est, velut Sol hymn. Orph. VIII 7 vocatur: *ῥόμβου ἀπειρεσίου δινεύμασιν οἶμον ἐλαύνων.* Quod Protogonus h. VI 7 nuncupatur *πάντη δινηθεὶς πτερύγων ῥιπαῖς κατὰ κόσμον,* poeta procul dubio deum lucis spectat. De astris legimus h. VII 4: *ἐγκυκλίοις δίνῃσι περιθρόνιοι* (sic Hermannus corr. trad. *περιθρόνια; πυριρρόθιοι* Wielius; *περὶ χθόνα* Krollius) *κυκλέοντες,* et de fulmine XIX 9: *ἀνίκητον βέλος ἁγνὸν ῥοίζου ἀπειρεσίου δινεύμασι,* ubi *ῥοῖζος* stridorem significare videtur, qui motu celerrimo efficitur, quomodo haud scio an *ῥοιζήτορα* quoque h. VI 5 ad Protogonum et *ῥοιζῆτορ* h. VIII 6 ad Solem intellegenda sint. Iam in propatulo est Phanetem-Amorem etiam in theogonia antiquissima deum lucis existimatum esse, quem, cum in *Ἱερᾷ*

λόγῳ neque Bacchus neque Zagreus inveniantur et ille theogoniae ibi tractatae speciem propriam Orphicam affricet, deum summum Orphicorum fuisse non temere concludere licet. Quibus ascitis intellegimus Eratosthenem (24 p. 29, 6 Olivieri; Kern. test. 113): *τὸν μὲν Διόνυσον οὐκ ἐτίμα* (sc. Orpheus), *τὸν δὲ Ἥλιον μέγιστον τῶν θεῶν ἐνόμιζεν εἶναι, ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν· ἐπεγειρόμενός τε τῆς νυκτὸς κατὰ τὴν ἑωθινὴν ἐπὶ τὸ ὄρος τὸ καλούμενον Πάγγαιον* ⟨*ἀνιὼν*⟩ (add. Wil.) *προσέμενε τὰς ἀνατολάς, ἵνα ἴδῃ τὸν Ἥλιον πρῶτον· ὅθεν ὁ Διόνυσος ὀργισθεὶς αὐτῷ ἔπεμψε τὰς Βασσαρίδας, ὥς φησιν Αἰσχύλος ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητής· αἵτινες αὐτὸν διέσπασαν καὶ τὰ μέλη διέρριψαν χωρὶς ἕκαστον* . . . unde Orpheum Solem coluisse elucet, quem eundem esse atque Phanetem proclive est opinatu. Aeschylum Solem etiam Apollinem nominavisse expressis verbis Eratosthenes asserit (*ὃν καὶ Ἀπόλλωνα προσηγόρευσεν*), ita ut ille non Apollinem verum, sed Solem spectet, quare Kernii sententiam removeo, qui (*Orpheus. Eine religionsgeschichtliche Untersuchung mit einem Beitrag von Josef Strzygowski. Berlin* 1920 p. 6 sq.) hac fabula bellum, quod Apollinis religio Graeciae mediae contra Bacchi cultum peregrine invadentem gesserit, deformatum esse arbitratur.

Orpheum cultui Bacchi restitisse manifestum est ex Conone quoque (XLV 25, 14 Hoefer; Kern. test. 115): *τελευτᾷ δὲ διασπασαμένων αὐτὸν τῶν Θρᾳκίων καὶ Μακεδόνων γυναικῶν, ὅτι οὐ μετεδίδου αὐταῖς τῶν ὀργίων*, et ex Hygino (Astronom. II 7; Kern. test. 117): (Orpheus) „qui querens uxoris Eurydices mortem ad inferos descendisse existimatur et ibi deorum progeniem suo carmine laudasse praeter Liberum patrem; hunc enim oblivione ductus praetermisit, ut Oeneus in sacrificio Dianam. postea igitur Orpheus, ut complures dixerunt, in Olympo monte, qui Macedoniam dividit a Thracia, sed ut Eratosthenes ait, in Pangaeo sedens, cum cantu delectaretur, dicitur ei Liber obiecisse Bacchas, quae corpus eius discerperent interfecti“. In aliis

narrationibus adversarius quidem Bacchi non existimatur, sed tamen in iis quoque a Bacchis distrahitur ex aliis causis: Conon XLV (p. 25, 17 Hoefer; Kern. test. 115), quod postquam Eurydice mortem occubuerit, eum omnium feminarum taesum sit (*φασὶ δ' οὖν αὐτὸν δυστυχήσαντα περὶ γυναῖκα πᾶν ἐχθῆραι τὸ γένος*, cf. test. 76), Hygin. Astron. II 7 (Kern. test. 117) „quod initia Liberi sit speculatus", et aliis testibus (Kern. test. 121), quod Venus, cui Orpheus Adonim non proprium concesserit, eum feminis Thracibus abiecerit, „ut Orphea amore inductae ita sibi quaeque appeterent, ut membra eius discerperent" (cf. pap. Berol. 13 426 v. ed. W. Schubart. in *Einleitung in die Altertumsk. Gercke-Norden Leipzig* 1927 I 9 p. 42 et Aemil. Orth. *Berl. Phil Woch.* 1927 p. 1469). Cum Orphici Bacchum in cultum recepissent neque iam Sol ullo modo Baccho oppositus esset, aliae fabulae de morte Orphei agentes confictae sunt, e quibus forma antiquissima pellucet. Itaque opinionem Kernii impugno (*Orpheus* p. 26), qui illum vatem, quod religionem suam divulgaret, occisum esse contendit (*„Orpheus wird ein Opfer seiner göttlichen Mission"*) et Orpheum a Bacchis distractum Zagreum a Titanibus discerptum adumbrare autumat: Ut deus puer pueriliter ludens distractus sit, sic eius interpretem sacrum deos canentem a Bacchis discerptum esse. Sed Aeschylus Orpheum non interpretem, sed inimicum Bacchi inducit, atque etiam si traditum esset Orpheum, quod Bacchi cultum diffunderet, necatum esse, haec fabella Zagreo discerpto refragaretur, quia Zagreus ab inimicis (sc. Titanibus), Orpheus autem a ministris eiusdem dei, quem veneraretur, mortem oppetivisset. Accedit, quod Orphicis, cum fabulam de obitu Orphei fingerent, mors Zagrei-Bacchi ignota fuit, quem in *Ἱερῷ λόγῳ* non invenimus.

Orphicos antiquissimos Solem coluisse ex fragmento Sophoclis quoque (Fragm. trag. N.[2] Sophocl. 1017) ratiocinari licet, in quo Sol parens deorum imploratur: *Καὶ*

Σοφοκλῆς Δία τὸν ἥλιον καλεῖ λέγων·

Ἥλι', οἰκτίροις ἐμέ,
⟨ὃν⟩ οἱ σοφοὶ λέγουσι γεννητὴν θεῶν
⟨καὶ⟩ πατέρα πάντων.

„Sapientes" non praecipue Heraclitum, ut Dieterichius proposuit (*Abraxas* p. 55), sed Orphicos intellegendos esse (cf. Reinhardt. *Kosmos und Sympathie, München* 1926 p. 357, 1) aliis locis tragicorum confirmatur, velut Aeschyl. Prom. 936 Wil.:

οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί,

Sophocl. Electr. 62 Pears.:

ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ' ὅταν δόμους
ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον (cf. Diet. *Nek.* 133),

Eurip. Hel. 513 Murr.:

λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμός, σοφῶν (l. *σοφὸν* LP) *δ' ἔπος,*
δεινῆς Ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.

Num Sophocles Antig. 1146 quoque, quo loco Bacchum *πῦρ πνεόντων χοράγ' ἄστρων* vocat, Solem cum Baccho confuderit, iam Lobeckio (p. 218 sq.) non satis exactum fuit, quamvis Bacchum ex poetarum consuetudine ducem siderum nominari non assentiar, „qui deorum orgia sua concelebrantium adventu universam naturam commoveri et exsultare fingunt, ut terra contremiscat, maria exaestuent, stellaeque ipsae augustiore lumine coruscare videantur". Potius Bacchum choragum tragicus appellavisse mihi videtur, quod eodem tempore, quo ille orgia celebrare incipit, astra conspiciuntur, ut eum ducem sequi videantur.

Non diu anquirendum est, quin Phanes-Sol deus summus Orphicorum antiquitus fuerit; sed quamvis in doctrina Orphica magnum momentum habeat theogonia, tamen cogitationes de praemiis poenisque post mortem ferendis

perceptas maxime amplexati praeceptis cum his arte coniunctis patratis post obitum vitam beatam se acturos esse vana spe Orphei asseclae opinati sunt. Itaque Plato Orphicos non deos a publicis alienos venerantes, sed praemia poenasque post mortem accipiendas docentes et maculosos mysteriis lustrantes atque expiantes facit (Res publ. II 364 e, cf. 363 c, d; Phaedo 69 c; Kern. frr. 3—5). Jam ratiocinari licet Orphicos fortasse has duas cognitiones inter se ita consuisse, ut Phanes, summus deus, etiam vitam post mortem degendam regat, quae sententia nonnullis laciniis servatis approbatur, in quibus Phanes deus inferorum censetur. Macrobius Saturn. I 18, 12 (Kern. fr. 237) hos versus affert:

ὅν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον
Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα καὶ Ἀνταύγην ἀρίδηλον,

quibus in versibus ille Eubuleus vocatur, atque idem versum celeberrimum apponit (Saturn. I 18, 17; Kern. fr. 239 b):

εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

Haud scio an Eubuleum pap. Gurob 18 (Kern. fr. 31) commemoratum (*καὶ Εὐβουλέα καλῶ*) illum Phanetem-Eubuleum iure existimem, praesertim cum idem deus vs. 22 nomine Ericepai nuncupetur, quod Phanetis conclamatissimum est. (*Εὐβου*)*λεῦ Ἰρικεπαῖγε σῷσόμ με*) Denique imagines, quas poetae opinionibus Orphicis fisi de sedibus piorum depinxerunt, testes esse mihi videntur Solem inferos regere olim creditum esse, cum solem ibi lucere affirmetur. Cf. Pindar. fr. 129 Schr.

τοῖσι λάμπει μὲν σθένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω,

Pindar. Olym. II vs. 67:

ἴσαις δὲ νύκτεσσιν αἰεί,
ἴσαις δ' ἁμέραις ἅλιον ἔχοντες,

Aristoph. Ran. 155 Coul.:

ὄψει τε φῶς κάλλιστον, ὥσπερ ἐνθάδε . . .,

Pseud. Platon. Axioch. p. 371 d: *οὔτε γὰρ χεῖμα σφοδρὸν οὔτε θάλπος ἐγγίγνεται, ἀλλ' εὔκρατος ἀὴρ χεῖται ἁπαλαῖς ἡλίου ἀκτῖσιν ἀνακιρνάμενος*, quae exempla facile augeri possunt.

Dieterichius cognitiones de vita post mortem futura quibusdam persuasionibus popularibus paene exoletis similes esse iam dudum perspexit, quae a sententiis Homericis repulsae sunt et raro ex iis emergunt; sed cum Bacchum deum summum Orphicorum fuisse opinaretur, cogitationes Orphicas ab popularibus antiquitus percelebratis non ausus ex Thracia peregre repetere coactus est. Quoniam autem Bacchum doctrinae antiquissimae Orphicae abrogavimus, et quod momentum Phanes-Sol apud Orphicos habuerit, indagavimus, opiniones Orphicas ex sententiis popularibus olim divulgatis ortas esse non arduum est cognitu, praesertim cum non modo de sorte piorum improborumque maxime concinant, sed etiam Solem deum mortuorum esse consentiant. En Dieterichii verba (*Nekyia* p. 21): *„Der Garten* (sc. *der Seligen*) *wurde immer mit der Sonne und dem Sonnengotte in Verbindung gedacht: er lag dort, wo die Sonne aufgeht oder nach der verbreitetsten Vorstellung, wo sie untergeht, im äußersten Westen“.* p. 23: *„Dort ist ja das Gefilde der Seligen, dort überhaupt nach uralter Auffassung das Reich der Toten. Das bricht auch in den Versen der Odyssee durch, die beschreiben, wie Hermes die Seelen der Freier wegführt (XXIV. Anfang) zu den Fluten des Okeanos, zum Leukasfelsen, zu den Toren des Helios“.* p. 23 infr.: *„Es wird uns nicht wundern, den Helios selbst als Seelenempfänger zu finden oder von der Wanderung der Seele unter dem Schutze der Todesgöttin zum Reiche des Sonnengottes zu hören“.* Satis habeo haec pauca amputata atque recisa ex opere viri de Orphicis optime meriti deprompsisse.

Doctrina Orphica igitur religionem Antehomericam praebet, cuius vestigia in placitis popularibus posteriore tempore deprehenduntur, atque quod tota antiquitas Or-

pheum ante Homerum fuisse pro certo habet, Orphica ad Antehomerica referenda esse iam tunc cognitum est. Ut Eleusinia, quae et ipsa tempori Antehomerico debentur, sacra arcana fiebant, quod religioni publicae opposita erant, sic etiam Orphica (cf. Kern.: *Die griechischen Mysterien der klassischen Zeit, Berlin* 1927 p. 5). Etsi differentiae inter haec mysteria in recentiore memoria intercesserunt, tamen ab origine eodem tempore et ex iisdem cogitationibus conflata esse videntur, cum utraque ad deum inferorum se convertant atque ut in mysteriis Orphicis, sic in Eleusiniis initiatis vita beata post mortem futura promissa sit atque pronuntiata.

Orpheo-Pythagorei sexto saeculo cultum Bacchi non receperunt, quare in *Ἱερῷ λόγῳ* omissus est, atque ne posterioribus temporibus quidem hunc cultum novum approbaverunt, si ex lamellis aureis eum praetermittentibus hoc cogere licet. Eiusdem originis, qua *Ἱερὸς λόγος,* esse videtur *Κατάβασις εἰς Ἅιδου*, quod carmen teste Clemente (Kern. test. 222) cum illo Epigenes in opere *Περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως* Cercopi Pythagoreo induxit. Profecto haec scripta ab eodem auctore excusa esse eo confirmatur, quod poeta Argonauticorum et ipse ea copulat (vs. 40—45), nisi forte eodem catalogo ex Epigene pendente usus est, quo Clemens. Etiam quod ad sententias attinet, plurimis in partibus inter se conveniunt, cum Necessitas sive Adrastea, quam ex theogonia Hieronymiana *Ἱερῷ λόγῳ* assignavimus, in *Καταβάσει* quoque reperiatur (Dieterich. *Nekyia* p. 123 sq.). Porro ut in *Ἱερῷ λόγω,* sic in *Καταβάσει* homines liberi Caeli et Terrae haberi videntur, cum mystes in lamellis aureis ex illis ortum repetat; nam quamvis Dieterichii sententiam explodam, qui lamellas partem *Καταβάσεως* continere affirmat, tamen doctrinam in iis apertam ad *Κατάβασιν* Orpheo-Pythagoream referendam esse annuo. Ceterum Orpheus in hoc carmine narravit, quid apud inferos conspexerit, cum uxorem arcessiturus esset (Argon. 40 sqq.):

ἄλλα δέ σοι κατέλεξ', ἅπερ εἴσιδον ἠδ' ἐνόησα,
Ταίναρον ἡνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν Ἄϊδος εἴσω,
ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο,

neque Dieterichio (*Nekyia* p. 128) astipulor, qui errore ductatus Orpheum ipsum ad inferos descendere conicit, non ut Eurydicam repetat, sed ut sortem mortuorum, quam in regno Proserpinae accipiant, hominibus proferat.

Cum animarum immortalitas atque migrationes et iudicium in Orco factum a Platone ad Orpheotelestas relata sint, Gualter Rathmannus in dissertatione citata Pythagoram non propria invenisse, sed persuasiones suas ab Orpheotelestis furatum esse conclusit. Sed quoniam Platonem aliis locis *Κατάβασιν εἰς Ἅιδην* (ut Dieterichius cognovit), aliis *Ἱερὸν λόγον* (ut ipse elicui) depeculatum, haec opera autem ab Orpheo-Pythagoreis Orpheo substituta esse exquisitum est, quid obstat, ne Pythagoras ad dogmata ab Orphicis accepta migrationes animarum ipse excogitaret atque compingeret, praesertim cum nulla vestigia migrationum animarum in doctrina Orphica antiquissima impressa sint, quae nihil nisi immortalitatem sive diuturnitatem animarum et praemia poenasque praebuit? Denique Pythagoram primum migrationes animarum docuisse testes sunt firmissimi Xenophanes (*F. V.*[4] 11 B 7 D.) et Empedocles (*F. V.*[4] 21 B 129 D.), quorum fidem Rathmannus immerito in dubium redegit.

Unus testis Heraclitus Ephesius superest, a quo in angustias adduci videor; nam si hic conviciator Pythagorae ipse, ut Rathmanno pro percepto liquet, „non solum immortalitatem et migrationes animarum, sed etiam praemia poenasque mortuorum" (p. 140) agnovit, iam ante Pythagoram migrationes animarum creditas esse neminem fugerit, cum existimari vix possit eum Pythagoram tam vehementer vellicavisse, si ex eius doctrina decerpsisset. Sed etiam, si Pythagoras eadem dogmata, quae Heraclitus, Orphicos se-

cutus probavisset, mihi persuadere non possum fore, ut Heraclitus male animatus erga eiusdem doctrinae assentatorem conviciis atque sugillationibus acerrimis Pythagoram consectatus esset; nam idem probrum, quo Pythagoram vexaret, ad eum ipsum recideret, quod eadem scripta Orphica expressisset, quorum sententias Pythagoram sibi assumpsisse increpuit (*F. V.*[4] 12 B 129 D.): *Πυθαγόρης Μνησάρχου ἱστορίην ἤσκησεν ἀνθρώπων μάλιστα πάντων καὶ ἐκλεξάμενος* (*ἐκδεξάμενος* Wil. *Glaube* II 188 n. 1) *ταύτας τὰς συγγραφὰς ἐποιήσατο ἑαυτοῦ σοφίην, πολυμαθείην, κακοτεχνίην.* Itaque potius ex hoc fragmento, si scripta ibi commemorata ad Orphica recte relata sunt, in antecessum colligere licet Heraclitum doctrinam a Pythagorea et Orphica alienam amplexum esse, id quod nunc demonstrandum est.

Ut Heraclitum migrationes animarum docuisse expediat, Rathmannus unum fragmentum affert, quod Phinei fortasse ad migrationes animarum referre potuerint (*F. V.*[4] 12 B 36 D.): *ψυχῇσι θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι, ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή*, in quo frusto anima in circuitum elementorum inseritur: ex anima fit aqua, ex aqua terra, ex terra rursus aqua, ex aqua rursus anima; nam nullo pacto recte Rathmannus sic illustrat (p. 90): „eodem modo atque ignis in aquam et terram convertatur, animas, cum in vitam ineant, umidas fieri, quod re vera mors sit, et similiter atque terra in aquam et ignem mutetur, animas rursus ex umido respirari“. Omnibus ceteris fragmentis, quae Rathmannus percensuit, animam ante ortum corporis fuisse et post mortem futuram esse fortasse ostendi potest, minime autem iis migrationes animarum evolvuntur, velut Sext. Pyrrh. hypoth. III 230: *Ὁ δὲ Ἡράκλειτός φησιν, ὅτι καὶ τὸ ζῆν καὶ τὸ ἀποθανεῖν καὶ ἐν τῷ ζῆν ἡμᾶς ἐστι καὶ ἐν τῷ τεθνάναι· ὅτε μὲν γὰρ ἡμεῖς ζῶμεν, τὰς ψυχὰς ἡμῶν τεθνάναι καὶ ἐν ἡμῖν τεθάφθαι, ὅτε δὲ ἡμεῖς ἀποθνήσκομεν, τὰς ψυχὰς ἀναβιοῦν καὶ ζῆν*; fr. 48: *τῷ οὖν τόξῳ ὄνομα βίος, ἔργον δὲ θάνατος*; fr. 77: *ζῆν ἡμᾶς*

τὸν ἐκείνων θάνατον καὶ ζῆν ἐκείνας τὸν ἡμέτερον θάνατον; fr. 20: *γενόμενοι ζώειν ἐθέλουσι μόρους τ' ἔχειν, μᾶλλον δὲ ἀναπαύεσθαι, καὶ παῖδας καταλείπουσι μόρους γενέσθαι* (cf. fr. 84); fr. 62: *ἀθάνατοι θνητοί, θνητοὶ ἀθάνατοι, ζῶντες τὸν ἐκείνων θάνατον, τὸν δὲ ἐκείνων βίον τεθνεῶτες* . . ., in quibus omnibus frustis vitam corporis esse mortem animae, mortem corporis significare vitam animae explicatur. Sed cum in fr. 36 supra commemorato anima elementum existimetur, his in fragmentis quoque illa sic intellegenda erit, ut ignem, si tamquam anima in corpora ineat, mori et sepeliri, si ex corporibus redeat, rursus in vitam restitui expediatur. Sane Heraclitus cogitata eloquitur, quasi animam propriam et peculiarem esse putet; sed hoc fingit, cum cognitiones suas iactantia ambitiosa verborum theologicorum exprimere soleat, qua concisis sententiis officit. Quin etiam consuetudinem Orpheo-Pythagoreorum ad usum suum convertisse videtur, cum quod vitam corporis esse mortem animae et „animas nostras in nobis sepultas esse" (cf. Sext. l. l. *τὰς ψυχὰς ἡμῶν . . . ἐν ἡμῖν τετάφθαι*) asseverat, opinionem illam Orpheo-Pythagoream attingat, ex qua corpus animae *σῆμα* censetur. Itaque quamvis mysteria removeat (frr. 5, 14, 15), Sibyllam insanientem a deo incitatam propter linguam amplificatam atque elatam laudibus tollit (fr. 92): *Σίβυλλα δὲ μαινομένῳ στόματι καθ' Ἡράκλειτον ἀγέλαστα καὶ ἀκαλλώπιστα καὶ ἀμύριστα φθεγγομένη χιλίων ἐτῶν ἐξικνεῖται τῇ φωνῇ διὰ τὸν θεόν*. Eadem ratione Justitiam et Legem inducit, quae ex theogonia Orphica nobis cognitae sunt. Porro quod fulmen omnia gubernare (fr. 64: *τὰ δὲ πάντα οἰακίζει Κεραυνός*) et ignem venturum esse atque omnia damnaturum per ambages exponit (fr. 66: *πάντα γάρ, φησί, τὸ πῦρ ἐπελθὸν κρινεῖ καὶ καταλήψεται*), de deo gubernatore et judice dicere videtur, quamvis elementum absque dubio spectet. Itaque orationem granditate phalerata quidem operum septimi et sexti saeculi perspergit, sed cognitiones suas physicas huic subicit. Quibus excussis exactisque haud veridissimile

est eum, si de anima loquatur, de elemento dicere, quo modo etiam fragmenta obscurissima 14, 241, 251, 98 intellegi debent.

Itaque sententiam Wilamowitzii amplector, qui (*Glaube* II 188) Pythagoram transitiones animarum primum professum esse iudicat. Idem vir egregius recte cognovisse mihi videtur ex hac doctrina abstinentiam carnium effici, quare hanc quoque philosopho Samio ascribere nihil pensi habeo. Quin etiam fortasse omnia illa praecepta ad vitam puram sinceramque pertinentia ab Orpheo-Pythagoreis doctrinae Orphicae adiuncta sunt. Ut altera pars Orphicorum Bacchi cultum asciscens ab mystis Magnae Graeciae alucinationes de migrationibus animarum recepit, sic etiam praecepta lustralia, quamquam ab origine haec a Bacchi cultu, in quo caro cruda edebatur, recedebant, quas differentias olim intercessisse ex nonnullis locis cogitur, velut ex fragmento Cretens. Eurip., ubi mystes, postquam carnem crudam ederit, ab hominibus nascentibus, a corporibus mortuis, a carne animata (*ἐμψύχων*) se abstinentem vestibus candidis indutum vitam sinceram se degere pronuntiat (Tr. Gr. Fr. 472 Nauck.², cf. Wilamowitzium *Berl. Klassikertexte* V 2, p. 77 n. 1):

> *ἁγνὸν δὲ βίον τείνων . . .*
> *πάλλευκα δ' ἔχων εἵματα φεύγω*
> *γένεσίν τε βροτῶν* (Wil. add. *ψυχῆς τε λύσιν*) *καὶ*
> *νεκροθήκαις* (Wil. *κης* trad.)
> *οὐ χριμπτόμενος τὴν[τ']* (secl. Wil.) *ἐμψύχων*
> *βρῶσιν ἐδεστῶν πεφύλαγμαι.*

Ergo cum initiarentur, carnem crudam Orphici edebant, sed initiati praeceptis lustralibus obtemperabant; nam eos, etsi Bacchum venerarentur, Orpheo-Pythagoreos sectatos aliis temporibus carne se abstinuisse patet ex Eurip. Hipp. 952 quoque, ubi tragicus Orphicos Bacchum colentes spectat, ut ex *βάκχευε* concludi potest:

ἤδη νῦν αὔχει καὶ δι' ἀψύχου βορᾶς
σῖτ' ἐκκαπήλευ' (Dieles.), *Ὀρφέα τ' ἄνακτ' ἔχων*
βάκχευε πολλῶν γραμμάτων τιμῶν καπνούς.

Denique in memoriam revoco illud Herodoteum, ex quo Orphicorum sectam Bacchicam vestibus laneis sepeliri vetitam esse ratiocinor, cum, quod ex *Ἱερῷ λόγῳ* Orpheo-Pythagoreo deprompsit, statim ad hos transferat, qui tunc notissimi erant.

Caput III.

De *Τελεταῖς* Onomacriti.

Quoniam in latebras doctrinae Orphicae antiquissimae descendimus et *Ἱερὸν λόγον* Orpheo-Pythagoreum lineamentis adumbravimus, nobis propositum est, ut, quo tempore Bacchum et Zagreum Orphei asseclae sibi assumpserint, investigemus atque indagemus. Disputationis exordium sumamus ab Orphei Argonauticorum vs. 17 sqq., qui inferioris aetatis sordibus obsoleti sunt:

Βριμοῦς[1]) *τ' εὐδυνάτοιο γονὰς*[2]) *ἠδ' ἔργ'*[3]) *ἀΐδηλα*
Γηγενέων[4]), *οἳ λυγρὸν*[5]) *ἀπ' οὐρανοῦ ἐστάξαντο*[6])

---

1) *βριμοῦς* codd. (e *βρομοῦσ* corr. Vi).

2) *γονάς* codd. (e *γενάς* corr. Vi).

3) *ἔργ'* codd. pl.; *ἔργα* Vo; *ἔρχ'* As L.

4) *γηγενέων* A Vi (marg.), Vo („ab alter. man. in marg." Guttmannus); *γιγάντων* cett.; *Τιτάνων* Piersonus.

5) *λυγρὸν* codd. pl.; *λυγροὶ* Vi.

6) *ἐστάξαντο* codd. pl. (ex *ἐτάξαντο* corr. Vo); *ἐτάξαντο* p Vo; *ἐπτάξαντο* A 1; *ελάξαντο* Vi; *ἐνστάξαντο* edd. pr.; *ἐκμάξαντο* Hermannus, cf. Nic. Ther. 740 (H. cum propter sententiam tum quod pro *ἔσταξαν* insolenter positum sit, verbum trad. spernit; sed cf. J. G. Huschkium: commentatio de Orphei Argonauticis, Rostochii 1806 p. 9: „Sed vide, ne insolentia ista defendi, certe excusari possit exemplo classicorum scriptorum, qui item verbis quibusdam in voce media soli et eo quidem sensu usi sint, quo alibi non leguntur"); *ἐπ' Οὐρανίους τάξαντο* Wielius, qui Observ. II p. 22 Cribellum premit sic convertentem: „et bella Gigantum / Impia, qui in superos aciem struxere nefandam", et de pugna, quae Titanis cum Jove intercessit, cogitat; *ἐξάξαντο* Plattius (Orphica I, *Journal of philology* XXVI 1899 p. 69), qui interpretatur: „*deduced their origin*".

σπέρμα γονῆς, τὸ πρόσθεν[7] *ὅθεν*[8] *γένος*[9] *ἐξεγένοντο*
θνητῶν, οἳ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον αἰὲν ἔασι·[10]
θητείαν τε Ζηνὸς[11] *ὀρεσσιδρόμου*[12] *τε λατρείαν*[13]
μητρός, ἅ τ'[14] *ἐν Κυβέλοις ὄρεσιν*[15] *μητίσατο κούρην*
Φερσεφόνην[16] *περὶ*[17] *πατρὸς ἀμαιμακέτου Κρονίωνος·*
† καὶ μῆλον[18] *καὶ Ἡρακλέος*[19] *περίφημον ἄμυξιν·*

---

7) *τὸ πρόσθεν* codd. pl.; *τοπρόσθεν* R (quod Schneider rec.) *τό ⟨τε⟩ πρόσθεν* Hermannus (sed e ratione metrica *τὸ πρόσθεν* retineri posse demonstrat Guilelm. Weinberger: Quaestiones de Orphei quae feruntur Argonauticis, diss. Vindob. 1891 p. 11 (251); cf. Homer. M 40, δ 688).

8) *ὅθεν* codd. pl.; *ὅτεν* W.

9) *γένος* codd.; *γένη* Kruegelsteinius (Observationes quaedam in Pseudo-Orphei Argonautica, progr. Ohrdruff. 1841 p. 6).

10) *ἔασι* codd. pl.; *ἔασσι* Vi Vo W.

11) *θητείαν τε Ζῆνος* codd.; *θητείαν Τιτῆνος* Wielius (diss. p. 34: „Loqui videtur Orpheus de Apollinis illa apud Admetum servitute, de qua vs. 175: *Ἄδμητος δ' ἀφίκανε Φεραιόθεν, ᾧ ποτε Παιὰν / θητεύων ὑπόεικε· Διὸς δ' ἠλεύατο μῆνιν.* Neque quod Apollo *Τιτάν* appellatur, quidquam offensionis habet in hoc scriptore: constat enim, posteriore tempore cum Sole eum in unum personam confusum et inde Titanem dictum esse. Hymn. Orph. XXXIV 3 de Apolline: *χρυσολύρη, σπερμεῖος, ἀρότριε, Πύθιε, Τιτάν*"); *θητείην Παιᾶνος* Abelius; *τηθείαν* vel *τιτθείαν* Plattius (Orph. I p. 69: *„I think that θητείαν is simply a transposition of τηθείαν „nursing" from τήθη"*; *θρησκείαν τε Ζηνός?* Kernius; cf. Plut. Alex 2 et Etym. Magn. v. *θρῆσκος· καὶ θρησκεία, παρὰ τὴν τῶν Θρᾳκῶν ἐπιμέλειαν τὴν πρὸς τὸ θεῖον καὶ τὴν Ὀρφέως ἱερουργίαν.*

12) *ὀρεσσιδρόμου* codd. pl.; *τ' ὀρεσσιδρόμου* Vo; *ὀρεσιδρόμου* A 2 R; *ὄρεσσι δρόμου* W.

13) *λατρείαν* codd.; *ἀλιτρείαν* Lobeckius (= violatio); *λατρείην* Abelius.

14) *ἅτ'* codd. pl.; *ἅ τ ε* Vi.

15) *ὄρεσιν* codd. pl.; *ὄρεσσιν* W; *ὄρεσι μητίατο* As L; *ὄρεσι μητίετο* Gesner (cf. *μήτιον* vs. 1333).

16) *κούρην Φερσεφόνην* codd.; *κούρη Φερσεφόνη* Schneider; *κούρῃ Φερσεφόνῃ* J. H. Voss.

17) *περὶ* codd. pl.; *παρὰ* S; *πέρι* Gesner.

18) *καὶ μῆλον* p R Vi; *εὐ μῆλον* Vo (in textu, *μῆχον* in marg.);

ὄργια[20]) *τ' Ἰδαίων*[21]) *Κορυβάντων τ' ἄπλετον ἰσχύν·*
Δήμητρός[22]) *τε πλάνην καὶ Φερσεφόνης μέγα πένθος,*
θεσμοφόρος θ' ὡς ἦν·[23]) *ἠδ' ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων*
χρησμούς τ' ἀρρήτους[24]) *Νυκτὸς περὶ Βάκχου ἄνακτος.*

Omnes interpretes inde a Gesnero usque ad Dottinium versui 17 ita lucem afferri posse opinati sunt, ut Brimo eandem deam esse atque Terram et *Βριμοῦς γονάς* ad Titanes, Terrae filios, pertinere asseverarent; sed primum quidem ambiguum est, num Terra, Caeli uxor, Brimo nominari possit, cum testimonio Tzetzae ad Hesiodi *Ἔργα καὶ Ἡμέρας* vs. 144 II 130, 17 Gaisf., quo interpretes nituntur, nihil aliud indicetur nisi Brimo Proserpinam esse, quae terram significet: *Βριμὼ δὲ καὶ Ὀβριμὼ κυρίως ἡ Φερσεφόνη ἤγουν ἡ γῆ καὶ ὁ θάνατος καλεῖται.* Deinde interpretationem illam plane spernendam esse apparet versu 431. inspecto, ubi legitur *καὶ Βριμοῦς, Βάκχοιο Γιγάντων τ' ἔργ' ἀΐδηλα;* nam qua de causa poeta inter Brimo et Gigantes Bacchum interposuisset, si Brimo uxorem Caeli putaret? Sine dubio hoc ex loco elucere mihi videtur Brimo eandem deam atque Proserpinam Orpheum personatum existimavisse, quae

---

εὐμήλου A; *μήλου* As L P W; *Μήλωνος* Eschenbachius (Hesych. *Μήλων, Ἡρακλῆς, ὀνομασθῆναι φασὶ τὸν θεὸν οὕτως διὰ τὸ μὴ ἱερεῖα θύειν αὐτῷ τοὺς μελιτεῖς ἀλλὰ τὸν καρπὸν τὰ μῆλα*; cf. Pollucem I 31 p. 8 Bekker: *καὶ καλεῖται παρὰ τοῖς Θηβαίοις ἢ τοῖς Βοιωτοῖς Μήλων ὁ Ἡρακλῆς* et Suidam *Μήλειος Ἡρακλῆς*); *μηχανόωσα* Wielius (diss. p. 35); *Καινῆος* Wielius (Obs. II p. 18): *μαινομένου* Seidenadelius (progr. p. 8).

[19]) *ἡρακλέος* A 1 R; *ἡρακλῆος* L P Vo W; *Ἡρακλέουσ* A 2 Vi; *Φερσεφόνην πέρι. Πατρὸς ἀμαιμακέτου Κρονίωνος / μειλιχίην καὶ Ζαγρῆος π. ἀ.* Lobeckius p. 591 (*μειλιχίη* = „placatio, deprecatio, qua stuprator iram matris lenire studuit"); *ῥαιομένου τε Ζαγρῆος* Abelius.

[20]) *ὄργια* Schneider; *ὅρκια* codd.

[21]) *Ἰδαίων* codd. pl.; *Ἰδέω* Vi.

[22]) *δήμητρός τε* codd. pl.; *δημήτερός τε* R S.

[23]) *θεσμοφόρος θ' ὡς ἦν* codd.; *θεσμοφόρον θ' ὁσίην* Pierson.

[24]) *χρησμούς τ' ἀρρήτους* codd. pl.; *χρησμούς τε ἀρρήτους* Vo; *θεσμους τ' ἀρρήτους* R.

Bacchum a Titanibus postea discerptum enixa est. Jam etiam patescit, quid insequentes versus significent. Hermannus quidem *σπέρμα γονῆς* non de semine Caeli, sed de origine Gigantum intellegendum esse opinatur, quam ex sanguine Caeli repetiverint. Sane haec quoque res in theogonia Orphica narrata est, cum Etymol. Magnum 231, 23 s. *Γίγας* Gaisf. (Kern. fr. 63) exhibeat duos versus, qui ex *Ἱεροῖς λόγοις* petiti sunt:

οὓς καλέουσι Γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
οὕνεκα Γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος Οὐρανίοιο.

Ut hic sensus oriatur, Hermannus pro *ἐστάξαντο* legendum esse *ἐκμάξαντο* proponit et Nicandri Theriaca vs. 740 Schn. comparat: (de vespa)

ὅς δὴ θαρσαλέην γενεὴν ἐκμάσσεται ἵππου,

quem versum Hermannus sine dubio falso illustrat, cum *ἐκμάσσεται* „imitatur" significet. Praeterea ut interpretationem suam sustentet, Hermannus ad alteram mutationem cogitur, cum ignorari possit, ad quid tandem *ὅθεν* referendum sit; minime utique ad *σπέρμα γονῆς*, cum haec non ad Titanum, sed Gigantum originem spectent, in theogonia Orphica autem homines non a Gigantibus ex Caeli sanguine ortis, sed a Titanibus geniti sint. Hac difficultate rectissime cognita Hermannus inter *τό* et *πρόσθεν* infulcit *τέ*, in qua coniectura inconstantiam disserendi vel potius hiatum manifestum quis non offendit? Primo quidem obtutu iudicaveris hoc loco de Titanibus Caelum exsecantibus agi, qua interpretatione accepta *ἔργ' ἀΐδηλα* optime explanantur; sed nescitur, ad quid *ὅθεν* pertineat, cum ad *σπέρμα γονῆς* referri non possit, quia nusquam traditum est homines ex eodem semine Caeli procreatos esse, ex quo Gigantes et Venus generati esse dicuntur. Itaque ne scopae dissolvantur, tertia interpretatio nobis obtruditur, quae plausum meum fert: Poeta dicit de Titanibus a Caelo sanguinem stillantibus ex quo semine genus humanum creatum est. Libidinibus

Hermanni resectis iam omnia una pertica, ut dicitur, explicata concinne leviterque decurrunt: *ἀπ' οὐρανοῦ ἐστάξαντο* optime quadrant ad hunc sensum, et *ὅθεν* ex *σπέρμα γονῆς* enodis pendet. Ergo coniecturarum aditus hoc loco perstructus et auctoritas codicum ab opinationibus criticorum satis defensa est. Praecedente quoque versu haec explicatio fulcitur: si *Βριμοῦς τ' εὐδυνάτοιο γονάς* ad Zagreum, filium Proserpinae, pertinent, *ἔργα ἀΐδηλα* sine dubio ad mortem respiciunt, quae a Titanibus ei affecta est; ut ulcisceretur, Juppiter eos fulminavit, ex quorum sanguine a caelo stillante homines exorti sunt.

In Rhapsodiis quidem, in quibus Neoplatonici affatim grassati sunt, homines ex fuligine Titanum natos esse nuntiatur; sed praeter hanc alia sententia valuit, secundum quam ex sanguine eorum producti sunt. Juvat lacinias huic opinioni faventes conflare: Ovid. Metamorph. I 156 sqq. Ehw.

Obruta mole sua cum corpora dira iacerent,
perfusam multo natorum sanguine Terram
inmaduisse ferunt calidumque animasse cruorem
et, ne nulla suae stirpis monimenta manerent,
in faciem vertisse hominum; sed et illa propago
contemptrix superum saevaeque avidissima caedis
et violenta fuit: scires e sanguine natos.

Dio Prusaensis or. XXX 10 (II 297, 10 de Arn.; II 372, 14 de Bud.): *λέξω δὲ αὐτὸν (λόγον) ὑμῖν οὔτι που τερπνὸν ὄντα οὐδὲ χαρίεντα· — ὅτι τοῦ τῶν Τιτάνων αἵματός ἐσμεν ἡμεῖς ἅπαντες οἱ ἄνθρωποι. ὡς οὖν ἐκείνων ἐχθρῶν ὄντων τοῖς θεοῖς καὶ πολεμησάντων οὐδὲ ἡμεῖς φίλοι ἐσμέν, ἀλλὰ κολαζόμεσθά τε ὑπ' αὐτῶν καὶ ἐπὶ τιμωρίᾳ γεγόναμεν, ἐν φρουρᾷ δὴ ὄντες ἐν τῷ βίῳ τοσοῦτον χρόνον ὅσον ἕκαστοι ζῶμεν.* Julianus imperator fragm. epist. 292 b p. 375, 23 Hertl.: *(ἀποβλέψαντα) εἰς τὴν τῶν θεῶν φήμην, ἣ παραδέδοται διὰ τῶν ἀρχαίων ἡμῖν θεουργῶν, ὡς, ὅτε Ζεὺς ἐκόσμει τὰ πάντα, σταγόνων αἵματος ἱεροῦ πεσουσῶν, ἐξ ὧν που τὸ τῶν ἀνθρώπων βλαστήσειε γένος, καὶ οὕτως οὖν συγγενεῖς γινόμεθα πάντες.*

Servius in Verg. Bucol. VI 41 III 71, 13 Thil.: „Juppiter cum perosum haberet propter feritatem Gigantum genus humanum, scilicet quod ex illorum sanguine editi erant mortales, diluvio inundavit terras .....“. Holwerda (de theogonia Orphica Mnem. N. S. XXII (1894) p. 368) hanc fabulam in eodem carmine Orphico fuisse arbitratur, in quo Titanes in Tartarum coniectos esse enarratum sit, cum haec fabula ab ea plane abhorreat, ex qua Titanes fulminatos et in favillam versos esse demonstretur. Sed priusquam ad hanc quaestionem dirimendam me converto, nonnulla monebo de poenis Titanum, quae non solum criticorum turbam, sed doctos quoque et cautos homines ludificatae sunt. Holwerda (p. 316) quidem Titanes iam a Caelo in Tartarum coniectos esse concludit ex Procl. in Plat. Tim. 40 e III 185, 20 Diehl. (Kern. fr. 121): „In Tartarum deiecit Uranus liberos, quos *λαθοῦσα* uxor ei pepererat. Liberi praeter Oceanum et Tethyn, qui noluerunt, duce Crono iussu Gaeae matris patrem aggrediuntur.“ Sed hic vir litteratus non explicat, quo modo Titanes ex Tartaro liberarentur, ut vel hac ex causa sic interpretari non liceat; accedit, quod hanc interpretationem fundamentis solidis plane destitutam esse ex connexu verborum Procli in promptu est, quibus Titanes in tres partes dividuntur:

1. *μᾶλλον δὲ πάντων τῶν οὐρανίων γενῶν τὰ μὲν μένει μόνον ἐν ταῖς ἀρχαῖς, ὥσπερ αἱ δύο πρῶται τριάδες — ὡς γὰρ ἐνόησε, φησίν* (sc. *ὁ θεολόγος*), *αὐτοὺς ὁ Οὐρανὸς*
   ἀμείλιχον ἦτορ ἔχοντας
   καὶ φύσιν ἐκνομίην . . .
   ῥῖψε βαθὺν γαίης ἐς Τάρταρον . . .
2. *τὰ δὲ καὶ μένει καὶ πρόεισιν, ὥσπερ ὁ Ὠκεανὸς καὶ ἡ Τηθύς . . .*
3. *οἱ δὲ ἄλλοι Τιτᾶνες εἰς διάκρισιν ἐπείγονται καὶ πρόσοδον . . .*

Jam in propatulo est non omnes Titanes in Tartarum amandatos esse, sed *αἱ δύο πρῶται τριάδες*, quibus quin

Centimani et Cyclopes significentur, nemo in dubium vocaverit. Lobeckius (p. 565) Procl. in Rem publ. I 93, 22 Kr. (Kern. fr. 122 p. 181 supr.) ad Titanes propter Zagreum discerptum expulsos refert, „quamquam id de prima expulsione intellegi potest"; sed cum regno potiretur, Juppiter Titanes non in Tartarum relegavisse, sed „in caelo vinxisse" videtur, ut Damascius de princip. 205 II 88, 11 Rue. (Kern. fr. 122 p. 181 sup.) verbis apertis et conceptis enuntiat: *μετὰ τῆς πρεπούσης διακρίσεως, οἵαν καὶ Ὀ. παραδίδωσιν, τῶν τε νυχίων ἁπάντων γενῶν καὶ τῶν ἐν οὐρανῷ δεδεμένων Οὐρανιδῶν.* Itaque Titanes non antea in Tartaro fuerant, cum Juppiter eos bello propter Zagreum distractum recrudescente eo dimitteret. Ad hanc *καταταρτάρωσιν*, ut Kernium nescio quomodo effugit, Proclus in Plat. Tim. 25 c d I 188, 27 D. (Kern. fr. 122), ubi *πρὸς τῷ πέρατι τῆς δημιουργίας* expresse additur, et in Rem publ. I 93, 22 Kr. (Kern. fr. 122 p. 181 supr.): *τὸν πρὸς Δία πόλεμον ἐν τούτοις αἰνίσσεται τὸν Τιτανικὸν καὶ τὰς καλουμένας καταταρταρώσεις παρὰ τοῖς Ὀρφικοῖς* referenda sunt. Ut ad inceptum revertar, cum hac fabula repugnare fragmentum ab Olympiodoro allatum (in Plat. Phaedon. 61 c p. 2, 27 Norvin.; Kern. fr. 220) Holwerda opinatur: *καὶ τούτους* (sc. *Τιτᾶνας*) *ὀργισθεὶς ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσε, καὶ ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν ὕλης γενομένης γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους,* quam sententiam Eustathius quoque praebet (ad Hom. Iliad. B 735 p. 332, 24 ed. Rom.; I p. 269, 29 ed. Lips.): (*Τίτανος*) *ἐκλήθη δὲ οὕτως ἀπὸ τῶν μυθικῶν Τιτάνων, οὓς ὁ τοῦ μύθου Ζεὺς κεραυνοῖς βαλὼν κατέφρυγε.* Holwerda igitur ut de hominum ortu, sic etiam de superbiae poenis, quas Titanes oppetiverint, duas diversissimas sententias valuisse retur: secundum alteram ex sanguine Titanum vulneratorum homines ortos Titanesque ipsos caelo extorres in Tartarum exterminatos, secundum alteram Titanes fulminatos et in favillam versos esse, ex qua homines nati sint. Neoplatonicos has sententias diversas confudisse, et quamquam homines

ex sanguine Titanum editos esse silentio praetereant, Titanes et in favillam crematos, ex qua homines procreati sint, et in Tartarum deiectos esse pronuntiare. Sed ubi tandem Titanes in cinerem plane combustos esse legitur, ex qua homines orti sint? Eustathius dicit l. l. *κατέφρυγε*, Olympiodorus quidem de *αἰθάλη* loquitur, sed haec non est favilla corporum plane crematorum censenda, sed fuligo *τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν*, quare corpora Titanum fulmine percussa quidem esse videntur, ut fumus sublatus sit, sed plane deleta esse nullo testimonio confirmatur. Quibus perviis pertusis conicere non debemus Olympiodorum aliam theogoniam evolvisse atque Proclum. Quod alii, in quibus poeta quoque Argonauticorum habendus est, homines ex sanguine Titanum generatos esse proferunt, aliam fabulam expresserunt Neoplatonicis ignotam.

Quoniam semel in hanc causam descendi, non facere possum, quin ad hymnum de Titanibus nondum expeditum cogitationem attendam, quamquam contra praeceptorem meum cum dilectissimum tum doctissimum disputare coactus sum. Kernius enim (*Hermes* LI 1916 p. 554) versus extremos huius hymni:

> *ὑμᾶς κικλήσκω μῆνιν χαλεπὴν ἀποπέμπειν,*
> *εἴ τις ἀπὸ χθονίων προγόνων οἴκοισι πελάσθη*

sic enodat: „*Wer ἀπὸ χθονίων προγόνων stammt und sich den οἴκοι genaht hat, der verdient eine μῆνις χαλεπή, die von den Titanen kommen soll.*“ *Οἴκους* putat aedes sacras, in quas Orpheotelestae conveniant, et homines *ἀπὸ χθονίων προγόνων* oriundos vulgum profanum existimat, qui non a Caelo et Terra, sed ab una *χθονί* genitus sit, cum mystae *γένος οὐράνιον* habere glorientur. Sed huic interpretationi quamvis reconditae atque acutae obstat, quod nusquam, nusquam aio, homines in duas partes dividuntur, ita ut altera a Caelo et Terra, altera ab una *χθονί* creata sit. Lamellae quoque aureae a Kernio (p. 555) appositae interpretationi

huic non patrocinantur; nam quod mystes ille mortuus *γένος οὐράνιον* se habere iactat, ex hoc minime patet alios homines ab hac origine alienos esse, cum, ut in capite primo exposui, lamellae illae aureae eandem sententiam suppeditent atque theogonia antiquissima, in qua homines non Zagrei, sed Caeli et Terrae liberos esse explicatum fuisse videtur. Ceterum in hymno ipso, in quem incumbimus, Titanes *ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων* (vs. 2) vocantur, ex quibus verbis efficitur, ut auctori altera sententia cognita sit, secundum quam homines ex Titanum sive sanguine sive fuligine prolati sunt. Praeterea non intellegimus, cur tandem Titanes maligni aedes sacras polluentibus irascantur, nec non frustra quaerimus, quibus ex causis Orphicus, qui hunc hymnum pepigerit, a Titanibus petat, ne ei suscenseat, qui a *χθονί* oriundus *ἱεροῖς οἴκοις* appropinquet. Num mystae pro salute vulgi profani orant? Haec sufficunt ad sententiam illam respuendam. Sed priusquam meam ipsius pronuntio, alia mihi profliganda est, quam Dieterichius (*Abraxas* p. 89) protulit: „*Was die Orphiker angeht, so kann man sich, wenn man etwa noch die Worte des Hymnus 37, 7 an die Titanen hinzufügt, eine Vorstellung von der maßlosen Gespensterfurcht machen, die diese Frommen plagte: immer wieder flehen sie zu ihren Göttern, die bösen Geister zu vertreiben.*" Quasi Titanes ab Orphicis dei prosperi censerentur, qui eos adiuvarent et a larvis liberarent. Quasi non malitiosi maleficique essent, qui Zagreum discerpsissent. Propter quam malitiam *κακομῆται, ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντες* (Procl. in Plat. Tim. 24 e I 175, 13 D.; Kern. fr. 119) appellantur et apud Procl. in Plat. Tim. 25 b I 187, 8 D. (Kern. fr. 120) hi duo versus afferuntur:

καὶ κρατεροί περ ἐόντες ἀμείνονος ἀντιάσαντες,
ὕβριος ἀντ' ὀλοῆς καὶ ἀτασθαλίης ὑπερόπλου.

Ad quem ergo *μῆνις* illa magis quadrat quam ad Titanes ipsos? Ut extremus versus aperiatur, opus est invocationes

hymnorum aliorum aggerere; nam in *Εὐχὴ πρὸς Μουσαῖον* quoque petit poeta a deis invocatis:

εὐμενέας ἐλθεῖν κεχαρημένον ἦτορ ἔχοντας
τήνδε θυηπολίην ἱερὴν σπονδήν τ' ἐπὶ σεμνήν.

Eodem modo Hecate (h. 1), Nox (h. 3), Protogonus (h. 6), astra (h. 7) et multi alii *εὐμενέας ἐλθεῖν*, ut *τελετῇ* intersint, implorantur. Similis sensus versui 8 hymni de Titanibus subesse videtur. Poeta quidem Titanes non rogat, ut veniant, cum dei maligni sint, sed eos implorat, ut, si veniant, fauste prospereque veniant (*μῆνιν χαλεπὴν ἀποπέμπειν*); nam *χθόνιοι πρόγονοι* Titanes ipsi sunt iudicandi, praesertim cum vs. 2 *ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων* nominentur.

Sed de hac re satis; nam quid opus est ratiunculas sectari in re certissima? Redeamus ad carmen Argonauticorum, in cuius vs. 20: *θνητῶν, οἳ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον αἰὲν ἔασι,* quid *αἰέν* significet, disceptationi obnoxium est. Primo putavi hoc adverbio homines nostrae aetatis oppositos pristinis Phanete rege viventibus adumbrari, cum hanc doctrinam de compluribus generibus humanis Orphicam esse ex fr. 141 (Procl. Hesiod. Op. et Dies 126 II 121, 18 Gaisf.) appareat: *ὁ μὲν Ὀρφεὺς τοῦ ἀργυροῦ γένους βασιλεύειν φησὶ τὸν Κρόνον, τοὺς κατὰ τὸν καθαρὸν λόγον ζῶντας ἀργυροῦς λέγων ὥσπερ τοὺς κατὰ νοῦν μόνον χρυσοῦς.* Si Saturnus genus argenteum rexit, quod *κατὰ τὸν καθαρὸν λόγον* vixit, Phanes aureo praefuisse debet, quod *κατὰ νοῦν μόνον* vitam degit; Saturnus enim pertinet ad *τὰ νοερά*, Phanes ad *τὰ νοητά*. Quam interpretationem probabilem esse cogitur ex fragmento a Proclo (in Rem publ. II 74, 27 Kr.; Kern. fr. 140) allato, ubi luculenter exponitur: *πρώτιστον τὸ χρυσοῦν, ὅπερ ὑποστῆσαι τὸν Φάνητά φησιν· δεύτερον τὸ ἀργυροῦν, οὗ φησιν ἄρξαι τὸν μέγιστον Κρόνον· τρίτον τὸ Τιτανικόν ...* Quod Lactantius Divin. instit. I 13, 11 I 52, 3 Br. (Kern. fr. 139) asserit Saturnum primum hominibus praefuisse, hoc

analectum non Rhapsodiis inculcandum esse mihi videtur non modo, quod a laciniis a Proclo laudatis plane discrepat, sed praecipue quod eius brevitas, quam iam Lobeckius (p. 510) admiratus est, ab ubertate Rhapsodiarum abhorret. Sed num Argonauticorum auctor complura genera hoc loco distinguere voluerit, admodum est incertum. Haud scio, an poeta vi quadam *κατὰ γαῖαν* dicat, ut homines in terra viventes deis caelum habitantibus opponantur.

Maximis difficultatibus vs. 24 implicatus est. Nam cur poeta Herculem ad partes vocat, de quo in fragmentis Orphicis nihil legitur, nisi affers Servium ad Verg. Aen. VI 392 II 61, 28 Thilo (Kern. fr. 296): „lectum est et in Orpheo quod, quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit: ob quam rem anno integro in compedibus fuit", quod frustum Kernius fortasse merito *Καταβάσει εἰς Ἅιδου* ascripsit. Vel hac ex ratione ii in aëre piscari mihi videntur, qui poetam Argonauticorum Herculem heroem spectare pertendunt, ut Gesner, qui „Herculis *ἄμυξιν* non dubitat referri ad illam lacerationem a Deianirae munere, peplo sanguine Nessi Centauri infecto ortam, furoris et mortis adeo illius causam", aut Eschenbachius, qui „per *ἄμυξιν* nihil aliud intellegit, quam auxilium, quod tulit Hercules Jovi, cum Titanes coelum aggressi essent", aut Hermannus, qui Orpheum de celeberrima Herculis et Plutonis pugna loqui autumat. Itaque sine dubio Lobeckius, qui *καὶ Ζαγρῆος περίφημον ἄμυξιν* scribit, ad verum si minus pervenit, attamen progressus est, quod tenebras huic versui obductas secundum doctrinam Orphicam discutere primus conatus est. Sed quod Lobeckius traditum *Ἡρακλέος* eliminandum et in *Ζαγρῆος* mutandum esse opinatur, hac coniectura sententia sana adulteratur atque temeratur, ut iure optimo Kernius potius desperaverit (fragm. ed. p. 67), quam ut coniecturam, quae facillime supplantari possit, illotis manibus arriperet. Sed quis est ille Hercules? Qua quaestione soluta maximae diffi-

cultates sublatae sunt. Paucis ante quidem commemorantur Ceres, Proserpina, Juppiter, vs. 25 Idaei Corybantesque. Si Digitos Idaeos cum Cerere Mycalessi (Paus. IX 19, 5; IX 27, 8), Megalopoli (Paus. VIII 31, 3), fortasse Erythris (cf. Josefum Keilium *Beibl. zu österreich. Jahresheft.* XIII 1910 nr. 8 p. 45, ubi Kernius *Hermes* XLVI 1911 p. 304 legit: *[καὶ Ἰ]άσῳ καὶ Δήμητρι*) cultos esse cogitamus, desubito in promptu est Herculem illum ab Argonauticorum auctore laudatum Digitum Idaeum esse censendum. Vel propterea, quod Idaei cum Corybantibus vs. 25 allegati sunt, commoveri debemus, ut Herculem Digitum agnoscamus, quamvis adhuc ignoretur, quid tandem *ἄμυξις Ἡρακλέος* significet. Ut has angustias impeditas patefaciamus, primum quidem inspiciamus vss. 22 et 23, ubi omnes critici in constructione *μητίεσθαι τί τινα* haeserunt, quae labes putata iis ansam dedit ariolandi atque alucinandi: Gesner scribit *πέρι* retracto accentu, ut intellegatur esse praepositionem casui suo postpositum, Vossius legit *κούρῃ Φερσεφόνῃ*, Schneider *κούρη Φερσεφόνη*, qua ex farragine Schneideri coniectura verisimilis mihi arrideret, cui Kernius quoque assensus est, nisi exempla invenirentur, in quibus *μητίεσθαι* cum accusativo duplici coniunctum est, velut Odyss. σ vs. 27: *ὅτ ἂν κακὰ μητισαίμην*, et simili verbo *μήδομαι* in fragmento Orphico quoque eadem constructio tributa est; Tzetzes enim Chil. IV 128 vs. 172 p. 126 Kiessl. (Kern. fr. 282) ex *Γεωργίᾳ* Orphica hos versus aggerit (de Astraea):

> *μνωομένη, ὅσα λυγρὰ Διωνύσοιο ἕκητι*
> *Ἀκταῖοι μήσαντο, μέθῃ δεδμημένοι αἰνῇ,*
> *Ἰκάριον . . .*

Sed qui sensus subest his verbis: „et quae Ceres de filia Proserpina contra Jovem machinata sit?" Mihi quidem haec ad custodiam Proserpinae a Jove de stupro compellatae pertinere videntur, quae compluribus fragmentis describitur, velut Procl. Theolog. Platon. VI 13 p. 382, 14 Port. (Kern.

fr. 191), ubi Corybantes *Κόρην* tueri dicuntur: *ἀνάλογον δὴ τοῖς ἐκεῖ Κούρησιν ἡ τῶν Κορυβάντων προβαίνουσα τῇ Κόρῃ καὶ φρουροῦσα πανταχόθεν αὐτήν.* Simili modo Curetes Proserpinae custodes nominantur a Proclo (in Plat. Cratyl. 396 b p. 58, 1 Pasqu.; Kern. fr. 151): *τοσαύτη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ θεοῦ τούτου* (sc. Saturni) *πάσης τῆς πρὸς τὰ καταδεέστερα συντάξεως ὑπερβολὴ καὶ ἡ πρὸς τὸ νοητὸν ἄχραντος ἕνωσις, ὥστε μηδὲ τῆς Κουρητικῆς αὐτὸν δεῖσθαι φρουρᾶς, ὥσπερ τὴν Ῥέαν καὶ τὸν Δία καὶ τὴν Κόρην· πάντες γὰρ οὗτοι διὰ τὰς εἰς τὰ δεύτερα προόδους τῆς ἀτρέπτου φυλακῆς τῶν Κουρήτων ἐδεήθησαν.* Curetes autem cum Digitis confusos esse auctor est Pausanias V 7, 6: *Διὸς δὲ τεχθέντος ἐπιτρέψαι Ῥέαν τοῦ παιδὸς τὴν φρουρὰν τοῖς Ἰδαίοις Δακτύλοις, καλουμένοις δὲ τοῖς αὐτοῖς τούτοις καὶ Κούρησιν,* quae fabula cum narratione, in qua occupati sumus, mirum in modum consonat, quod Ceres-Rhea filium puerum iisdem Digitis tradidit, quibus tempore posteriore filiam eam commisisse colligemus. Copiosissime exponit Nonnus Dionys. VI 123, quam sedulo Ceres filiam in antro Siciliae occuluerit quomodoque Juppiter serpentis forma indutus dracones custodes fefellerit. Jovem serpentis formam induisse testis est etiam Athenagoras (pro Christian. 20 p. 136, 11 Geffck.; Kern. fr. 58) in fragmento ex theogonia Hieronymiana decerpto: *καὶ ὅτι τὴν μητέρα Ῥέαν ἀπαγορεύουσαν αὐτοῦ τὸν γάμον ἐδίωκε, δρακαίνης δ' αὐτῆς γενομένης καὶ αὐτὸς εἰς δράκοντα μεταβαλὼν συνδήσας αὐτὴν τῷ καλουμένῳ Ἡρακλειωτικῷ ἅμματι ἐμίγη — τοῦ σχήματος τῆς μείξεως σύμβολον ἡ τοῦ Ἑρμοῦ ῥάβδος —, εἶθ' ὅτι Φερσεφόνῃ τῇ θυγατρὶ ἐμίγη βιασάμενος καὶ ταύτην ἐν δράκοντος σχήματι, ἐξ ἧς παῖς Διόνυσος αὐτῷ.* Quodsi vss. 22 sq. Argonauticorum de custodia Proserpinae agitur, huc vs. 25 quoque spectare mihi videtur: *ὄργιά τ' Ἰδαίων Κορυβάντων τ' ἄπλετον ἰσχύν,* praesertim cum Corybantes Curetesque Proserpinae custodes fuisse traditum sit. Quo annuto quis infitias ibit vs. 24, qui inter eos positus sit, et ipsum ad custodiam illam facere, quoniam Herculem Digitum esse statuimus?

Itaque suspicor secundum fabulam, quam Argonauticorum auctor comprehenderit, unum ex his custodibus Proserpinae in custodia — fortasse Jovis iussu — discerptum esse, quae suspicio optime confirmatur hymno XXXIX, in quo Corybas invocatur:

6 *φοίνιον, αἱμαχθέντα κασιγνήτων ὑπὸ δισσῶν,*
Δηοῦς ὃς γνώμῃσιν ἐνήλλαξας δέμας ἁγνόν,
θηρότυπον θέμενος μορφὴν δνοφεροῖο δράκοντος.

Ut Hercules in Argonauticis, sic Corybas hic distrahitur; ut Nonno teste dracones Proserpinam tuentur, sic Corybas in serpentem vertitur; ut denique in laciniis Orphicis Curetes Corybantesque a Cerere custodes filiae fiunt, sic in illo hymno quoque Ceres cum Corybante quodammodo coniuncta est, ut ei draconis figuram induat. Nobis praeterea cogitantibus hos ministros deorum inter se permixtos esse, utramque fabulam ex eodem fonte repetendam esse verisimile est. Jam Lobeckius (p. 1256) hymnum Corybanti dedicatum cum Clem. Alex. Protr. II 19, 1 I 15, 1 Staehl.: *εἰ θέλεις δ' ἐποπτεῦσαι καὶ Κορυβάντων ὄργια, τὸν τρίτον ἀδελφὸν ἀποκτείναντες οὗτοι τὴν κεφαλὴν τοῦ νεκροῦ φοινικίδι ἐπεκαλυψάτην καὶ καταστέψαντε ἐθαψάτην, φέροντες ἐπὶ χαλκῆς ἀσπίδος ὑπὸ τὰς ὑπωρείας τοῦ Ὀλύμπου* et cum Jul. Firmico Materno de errore profan. rel. c. XI p. 27, 5 Ziegl. contulit: „In sacris Corybantum parricidium colitur. Nam unus frater a duobus interemptus est, et ne quod indicium necem fraternae mortis aperiret, sub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus consecratur." Quam fabulam ab origine de Cabiris narratam esse Kernius (*Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie und Religion von P. Wendland und Otto Kern, Berlin 1895* p. 102 sqq.; *R. E.* X p. 1416 sq.) contendit, sed potius crediderim ad eos illam translatam esse, cum Cabiri cum Corybantibus confunderentur, nisi forte Clementem ipsum lapsum esse mavis. Itaque cum Clemens tum Firmicus primum dicunt de Corybantibus, deinde addunt Corybantes Cabiros

quoque appellari (cf. Clem.: *Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες,* Firm.: „Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses . . . . .“). Accedit, quod mors illa ad Corybantes facilius referri potest, quod hi a natura vehementiores sunt Cabiris. Sed quod Clemens ad verba collata agglutinat, Cabirorum proprium esse mihi videtur (p. 15, 13 St.): *αὐτὼ γὰρ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω τὴν κίστην ἀνελομένω, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο, εἰς Τυρρηνίαν κατήγαγον, εὐκλεοῦς ἔμποροι φορτίου· κἀνταῦθα διετριβέτην φυγάδε ὄντε, τὴν πολυτίμητον εὐσεβείας διδασκαλίαν, αἰδοῖα καὶ κίστην, θρησκεύειν παραθεμένω Τυρρηνοῖς. δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἀπεικότως τὸν Διόνυσόν τινες Ἄττιν προσαγορεύεσθαι θέλουσιν, αἰδοίων ἐστερημένον* ... Similia enim aliis locis de Cabiris pronuntiantur, ut Kernius (*Beiträge* p. 106) ostendit: teste Nicolao Damascio (Jacoby. F. G. H. II a p. 353 nr. 52) Assessum, in oppidum oppugnatum, duo iuvenes ex Phrygia perveniunt Tottes et Onnes *ἱερὰ ἔχοντες Καβείρων ἐν κίστει κεκαλυμμένα,* nec non Herodotus auctor est (II 51) in cultu Cabirorum phallum maximas partes egisse: *τοῦ δὲ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες οὐκ ἀπ' Αἰγυπτίων μεμαθήκασι, ἀλλ' ἀπὸ Πελασγῶν πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἁπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ὦλλοι . . . ὅστις δὲ τὰ Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρῆκες ἐπιτελέουσι παραλαβόντες παρὰ Πελασγῶν, οὗτος ὡνὴρ οἶδε τὸ λέγω.* Denique ad partes voco Naassen. ap. Hipp. ref. omn. haer. V 8, 9 p. 90, 24 Wendl.: *διαρρήδην γὰρ οἱ Σαμοθρᾶκες τὸν Ἀδὰμ* (= *Ἀδάμνα*) *ἐκεῖνον παραδιδόασιν ἐν τοῖς μυστηρίοις τοῖς ἐπιτελουμένοις παρ' αὐτοῖς ἀρχάνθρωπον. ἕστηκε δὲ ἀγάλματα δύο ἐν τῷ Σαμοθρᾴκων ἀνακτόρῳ ἀνθρώπων γυμνῶν, ἄνω τεταμένας ἐχόντων τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας εἰς οὐρανὸν καὶ τὰς αἰσχύνας ἄνω ἐστραμμένας, καθάπερ ἐν Κυλλήνῃ τὸ τοῦ Ἑρμοῦ.* (Plura invenies apud Kernium *R. E.* X, 1424 sq.) Utcumque haec res se habet, hoc mihi constat Corybantem distractum ab incunabulis eundem fuisse atque Herculem Digitum Idaeum in Argonauticis commemoratum. In fabula ab Argonauti-

corum auctore reddita haud scio an Hercules a Cerere custos Proserpinae factus sive a Jove illam incestante sive a fratribus aut similibus ministris deorum velut Corybantibus Curetibusque a Jove fortasse ad hoc commotis divulsus sit.

Priusquam reliquos versus Argonauticorum interpretamur, ad hanc quaestionem impeditiorem cogitationes intendamus, unde poeta argumentum horum versuum coegerit.

Clemens Alexandrinus complura fragmenta Orphica reliquit, quae mirum in modum omnia in eo consentiunt, quod cum Zagreum nascentem et morientem tum raptum Proserpinae tractant: Protrept. II 17, 2 I 14, 7 Staehl. — 18, 2 p. 14, 25 St. (Kern. frr. 34 et 35) narratur Curetes circum Zagreum puerum saltavisse Titanesque eum crepundiis deceptum discerpsisse, de quibus duos versus apponit:

> *κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγυια,*
> *μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.*

Deinde corde a Minerva servato Jovem Titanes membra pueri distracti comedentes fulmine obruisse Apollinique membra commisisse exponitur, qui ea in Parnasso monte sepeliverit. II 17, 1 I p. 14, 1 St. (Kern. fr. 50) de raptu Proserpinae disserit et voraginis mentionem facit, in quam Eubulei sus cum Plutone et Proserpina rapta devoratae sint: *βούλει καὶ τὰ Φερεφάττης ἀνθολόγια διηγήσωμαί σοι καὶ τὸν κάλαθον καὶ τὴν ἁρπαγὴν τὴν ὑπὸ Ἀϊδωνέως καὶ τὸ χάσμα τῆς γῆς καὶ τὰς ὗς τὰς Εὐβουλέως τὰς συγκαταποθείσας ταῖν θεαῖν, δι' ἣν αἰτίαν ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις μεγαρίζοντες χοίρους ἐμβάλλουσιν.* II 20, 1 I 15, 20 — 21, 1 p. 16, 17 Staehl. (Kern. fr. 52) denique indignatur Cereri erranti Baubonem pudenda exhibuisse. Cum Clemens II 17, 2 versus de crepundiis afferens dicat *ὥς ὁ τῆς τελετῆς ποιητὴς Ὀ. φησιν ὁ Θράκιος* atque versibus allatis addat *καὶ τῆσδε ὑμῖν τῆς τελετῆς τὰ ἀχρεῖα σύμβολα οὐκ ἀχρεῖον εἰς κατάγνωσιν παραθέσθαι . . .,* fragmenta illa ex *Τελεταῖς* profecta esse mihi

persuasum est, neque Kernio assentior, qui hos pannos ex diversis carminibus Clementem consuisse credit et fragmenta de raptu *Κόρης* agentia carmini, quod fortasse *Κάθοδος τῆς Κόρης* inscriptum fuit, adnumerat, cetera autem alteri operi mortem Zagrei tractanti assignat. Cum *Τελεταί* ab auctore conscriptae sint, ut in mysteriis ederentur, huic operi ea frusta addici possunt, in quibus non ad carmen, sed ad *δρώμενα* alluditur, velut Diodor. V 75, 4 (Kern. fr. 303): *τοῦτον δὲ τὸν θεὸν* (sc. *Διόνυσον*) *γεγονέναι φασὶν ἐκ Διὸς καὶ Φερσεφόνης κατὰ τὴν Κρήτην, ὃν Ὀ. κατὰ τὰς τελετὰς παρέδωκε διασπώμενον ὑπὸ τῶν Τιτάνων* et Diodor. III 62, 2 (Kern. fr. 301), in quo fragmento explicatur, quid significet, quod Bacchus, Cereris Jovisque filius, a Titanibus distrahatur et a Cerere rursus componatur. Sed cave, ne haec omnia in *Τελεταῖς* acta fuisse credas, cum in hoc opere Bacchus sepultus, neque a Cerere in vitam redintegratus, filius Jovis et Proserpinae (non Cereris) habeatur. Itaque verba: *σύμφωνα δὲ τούτοις εἶναι τά τε δηλούμενα διὰ τῶν Ὀρφικῶν ποιημάτων καὶ τὰ παρεισαγόμενα κατὰ τὰς τελετάς, περὶ ὧν οὐ θέμις τοῖς ἀμυήτοις ἱστορεῖν τὰ κατὰ μέρος* potius ad interpretationem illarum fabularum rettulerim, quam similem ex Orphicorum *τελεταῖς* elucere censet. Num Diodorus opus *Τελετῶν* cognoverit, valde dubium est, atque admodum miror, quo iure Kernius, quem Dieterichius praeivit, huic operi versum fr. 302 citatum inferat, in quo Ceres *Γῆ μήτηρ* nominatur. Ut Diodorum, sic Neoplatonicos quoque opus *Τελετῶν* legisse infitias ierim, cum omnia analecta theogoniam in Rhapsodias dispertitam respiciant. Tamen ex nonnullis colligitur eos *τελετάς* actas conspexisse initiatosque esse, quare eos hic et illic eas spectare mirari non subeundum est. Curetes in iis commemoratos fuisse ex fragmento illo a Clemente allato cognovimus, in quo Zagreum puerum custodivisse feruntur. Proserpinae quoque custodes eos fuisse ex Proclo (Theol. Plat. V 35 p. 322, 31 Portus; Kern. fr. 151 p. 191 med.) ra-

tiocinari licet, ubi ille mysteria perstringit: *τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν καὶ σμικρὰ τῆς Ἑλληνικῆς θεοσοφίας ἀκηκοότων ἔν τε ταῖς ἀρρήτοις αὐτῶν τελεταῖς καὶ ταῖς ἄλλαις περὶ τῶν θεῶν πραγματείαις τὴν τῶν Κουρήτων τάξιν παρ᾽ αὐτοῖς διαφερόντως ὑμνημένην ὡς τῆς ἀχράντου προεστῶσαν ἰδιότητος, τῆς θεᾶς ἡγεμονοῦσαν καὶ τὴν φρουρὰν τῶν ὅλων εἰς αὐτὴν ἀναδησαμένην;* Atque idem Proclus testis est in *τελεταῖς* Noctis mentionem iniectam esse, cum '*μεγίστη θεά* Nox putanda sit (in Rem publ. I 125, 20 Kr.; Kern. fr. 209 p. 227 infr.): *ἐπεὶ καὶ Κόρης καὶ Δήμητρος καὶ αὐτῆς τῆς μεγίστης θεᾶς ἱερούς τινας ἐν ἀπορρήτοις θρήνους αἱ τελεταὶ παραδεδώκασιν.* Ut *θρήνους* illos a tribus deis post Zagrei mortem cantatos esse ostendatur, aggero Procl. in Rem publ. I 94, 5 Kr.; Kern. fr. 209 p. 227 infr.: *ὥσπερ δὴ καὶ Ὀ. τοῖς Διονυσιακοῖς εἰδώλοις τὰς συνθέσεις καὶ τὰς διαιρέσεις καὶ τοὺς θρήνους προσῆψεν ἀπὸ τῶν προνοουμένων ἅπαντα ταῦτα ἐκείνοις ἀναθείς.*

Duobus locis (I 14, 3 et 37, 4) Pausanias Orpheum auctorem alicuius carminis allegat, sed iisdem locis dubitat, num Orpheus verus scriptor sit; nam 14, 3 legimus *Ὀρφέως δέ, οὐδὲ ταῦτα Ὀρφέως ἐμοὶ δοκεῖν ὄντα* et 37, 4 commemorat *τὰ καλούμενα Ὀρφικά*, quibus locis de eodem carmine Orphico eum dicere ex hoc elucere mihi videtur, quod ad easdem fabulas pertinent; 14, 3 enim de Dysaule filiisque Eubuleo et Triptolemo loquitur: *Εὐβουλεῖ καὶ Τριπτολέμῳ Δυσαύλην πατέρα εἶναι, μηνύσασι δέ σφισι περὶ τῆς παιδὸς δοθῆναι παρὰ Δήμητρος σπεῖραι τοὺς καρπούς* et 37, 4 agit de Cerere eiusque inventis: *σαφὲς δὲ οὐδὲν ἔχω λέγειν, εἴτε πρῶτος κυάμους ἔσπειρεν οὗτος* (sc. Cyamites), *εἴτε τινὰ ἐπεφήμισαν ἥρωα, ὅτι τῶν κυάμων ἀνενεγκεῖν οὐκ ἔστι σφίσιν ἐς Δήμητρα τὴν εὕρεσιν.* Sed fortasse ex 37, 4 concludi potest, quod carmen spectet, cum addat: *ὅστις δὲ ἤδη τελετὴν Ἐλευσῖνι εἶδεν ἢ τὰ καλούμενα Ὀρφικὰ ἐπελέξατο, οἶδεν ὃ λέγω.* Nonne verisimile est *τὰ καλούμενα Ὀρφικά* intellegenda esse *Τελετάς*, in quibus Pausania auctore eadem descripta fuerunt, quae in mysteriis Eleusiniis edebantur? Quam opinionem

rectissimam esse eis optime confirmatur, quae iam de materia in *Τελεταῖς* tractata eruimus; nam praeter Zagrei fabulas in carmine illo raptus Proserpinae erroresque Cereris expediuntur, atque Triptolemum et Eubuleum, Dysaulis filios, ei Clemente teste iam vindicavimus. Idem Pausanias tria fragmenta Onomacrito imputat: Herculem cum Cerere consociatum in Digitis Idaeis habendum esse Onomacritum docuisse VIII 31, 3 (Kern. test. 193) affirmat: (de *θεῶν ἱερῷ τῶν Μεγάλων* Megalopolitano) *ἔστι δὲ καὶ Ἡρακλῆς παρὰ τῇ Δήμητρι μέγεθος μάλιστα πῆχυν· τοῦτον τὸν Ἡρακλέα εἶναι τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων Ὀνομάκριτός φησιν ἐν τοῖς ἔπεσι.* Onomacritum Hesiodum secutum esse, qui Gratias filias Jovis Eurynomaeque vocet, IX 35, 5 (Kern. test. 192) ostendit: *Ἡσίοδος δὲ ἐν Θεογονίᾳ . . . τὰς Χάριτάς φησιν εἶναι Διός τε καὶ Εὐρυνόμης, καί σφισιν ὀνόματα Εὐφροσύνην τε καὶ Ἀγλαΐαν εἶναι καὶ Θαλίαν· κατὰ ταὐτὰ δὲ ἐν ἔπεσίν ἐστι τοῖς Ὀνομακρίτου.* Denique VIII 37, 5 (Kern. test. 194) Onomacritum mortem Zagrei explanavisse autumat: *παρὰ δὲ Ὁμήρου Ὀνομάκριτος παραλαβὼν τῶν Τιτάνων τὸ ὄνομα Διονύσῳ τε συνέθηκεν ὄργια, καὶ εἶναι τοὺς Τιτᾶνας τῷ Διονύσῳ τῶν παθημάτων ἐποίησεν αὐτουργούς.* Mirum in modum omnia haec fragmenta ad fabulas pertinent, quae in Orphei *Τελεταῖς* narratae sunt: Zagreum ibi partes non parvas egisse mihi non iam monendum est, sed etiam constat Jovis Rheaeque ministros, in quibus Corybantes, Curetes, Digitos numero, Zagreum eiusque matrem Proserpinam custodivisse. Atque ex cantico, quod in Euripidis Helena invenitur, Gratias in *Τελεταῖς* Cererem cum deis in gratiam reconciliantes ac restituentes inductas fuisse videri inferius concludemus. Ergo Pausaniam, quia iam antea dubitavit, num *Τελεταί* ab Orpheo concinnatae sint, hoc loco verum auctorem Onomacritum nuncupare verisimile est. Quae opinio ex Pausaniae ipsius verbis coniecta verbis Suidae (test. 223) *Τελετάς* Orphicas ab Onomacrito compositas esse dicentis adminiculatur.

Argonauticorum poetam vss. 17—27 has *Τελετάς* comprehendere iam argumentari licet. Herculis enim Idaei cum Cerere consociati (vs. 24) ab Onomacrito mentionem iniectam esse Pausanias l. l. testis est; Zagrei ortum (vs. 17) et Proserpinae raptum erroresque Cereris (vs. 26) in *Τελεταῖς* exaratos esse nemo infitias ibit. Quoniam Herculem distractum cum Corybante discerpto contulimus, haud scio an Clemens Alexandrinus etiam testimonium allatum de Corybante (II 19, 1 I 15, 1 St.) *Τελεταῖς* debeat, quae suspicio eo astruitur, quod et ante et post illum locum fabulae tractantur, quas carmini Onomacriteo ascripsimus. Vs. 28 quoque *χρησμούς τ' ἀρρήτους Νυκτὸς περὶ Βάκχου ἄνακτος* ad opus illud Onomacriti pertinet. In theogonia quidem in Rhapsodias distributa Phanetem Nocti hanc artem tradidisse narratur (Herm. in Plat. Phaedr. 247 c p. 147, 21 Couvr.; Kern. fr. 103): *μαντοσύνην δ' οἱ δῶκεν ἔχειν ἀψευδέα πάντη.* Eius oracula Jovi data plurima ibi commemorantur, sed iam ante Jovis ortum futura praedixit, ut ex Procl. in Plat. Tim. 30 a I 397, 2 Diehl.; Kern. fr. 144) emergit: *διὸ καὶ μένει* (sc. Themis) *μὲν παρθένος πρὸ τῆς τοῦ δημιουργοῦ προόδου κατὰ τοὺς χρησμοὺς τῆς Νυκτός· „ἔστ' ἂν Ῥείη παῖδα τέκῃ Κρόνῳ ἐν φιλότητι“.* Jovi vaticinatur eum quintum regem deorum futurum esse (Syrian. in Aristot. Metaphys. N p. 1091 b 4 p. 182, 19 Kroll.; Kern. fr. 107 p. 171 supr.): *τὸν δὲ Δία οὐ πρῶτον ἀλλὰ πέμπτον βασιλέα σαφῶς ὀνομάζουσιν οἱ πρὸς αὐτὸν παρὰ τῆς Νυκτὸς δοθέντες χρησμοί· „ἀθανάτων βασιλῆα θεῶν πέμπτον σε γενέσθαι“*, et dolum eum docet, quo Saturnum opprimat (Porphyr. de antr. nymph. 16 p. 68, 1 Nauck.[2]; Kern. fr. 154): *φησὶ γὰρ παρ' Ὀρφεῖ ἡ Νὺξ τῷ Διὶ ὑποτιθεμένη τὸν διὰ μέλιτος δόλον.* Ad eandem deam *πρὸ τῆς ὅλης δημιουργίας* Juppiter venit, ut eam consulat; ab ea dicitur *πληροῦσθαι τῶν θείων νοήσεων καὶ τὰς τῆς δημιουργίας ἀρχὰς ὑποδέχεσθαι καὶ τὰς ἀπορίας ἁπάσας, εἰ θέμις εἰπεῖν, διαλύειν καὶ δὴ καὶ τὸν πατέρα*

παρακαλεῖν εἰς τὴν τῆς δημιουργίας σύλληψιν (Procl. in Tim. II prooem. I 206, 28 Diehl.; Kern. fr. 164). Nox igitur docet illum *πάντα τὰ μέτρα τῆς ὅλης δημιουργίας* (Procl. in Plat. Crat. 391 a p. 28, 7 Pasqu.; Kern. fr. 155) et respondet ei interroganti *πῶς δέ μοι ἕν τε τὰ πάντ' ἔσται καὶ χωρὶς ἕκαστον;* (Procl. in Plat. Tim. 28 c I 314, 4 Die., cf. 31 c II 24, 23 D.; Kern. fr. 165 et 166). Denique Nocti auscultans Juppiter Legem *πάρεδρον* sibi facit (Procl. in Plat. Tim. 28 c I 315, 12 Diehl.; Kern. fr. 160). Jam dispicitur, quantas partes Noctis oracula in theogonia posteriore egerint, sed nusquam audimus eam *περὶ Βάκχοιο ἄνακτος* divinavisse, ut vel hac ex causa Lobeckii Kerniique sententias, qui vs. 28 Argonauticorum ad theogoniam referunt, explodam. Ac mihi cogitanti Noctem post Zagrei mortem una cum Proserpina et Cerere *θρῆνον* cecinisse Onomacritum in *Τελεταῖς* ostendisse, Nox in hoc de Baccho minore vaticinata esse videtur, quare quominus versum illum Argonauticorum ad *θρῆνον* a Nocte cantatum amandemus, nihil impedit. Etiam alias res, quae ab Argonauticorum auctore enarrantur, ex *Τελεταῖς* depromptas esse inferius exstabit.

Sed quid? si Pausanias et Suidas Onomacritum verum auctorem *Τελετῶν* nominantes in errorem rapti sunt? Maassius quidem (*Orpheus. Untersuchungen zur griechischen, römischen, altchristlichen Jenseitsdichtung und Religion,* 1895 p. 106) Pausaniae verbis sine rationibus fidem habet: *„Der Athener Onomacritus dichtete (so berichtet eine glaubwürdige, wenn auch späte Überlieferung) am Hofe der Pisistratiden für den damals neuen Mysterienkult des Dionysos ‚die Zerreißung des Gottes durch die Titanen', unbekannt aus welchen Quellen (vielleicht attisch-delphischen Traditionen.)"* Sed Pausaniae non prius fidem adiungendam esse iudico quam iam aetate Onomacriti *Τελετάς* per decursum temporum propagatas notas fuisse evictum est.

Ac primum quidem in statera critica ponamus papyrum tertii a. Chr. saec. in vico Gurob repertam (Kern. fr. 31),

quam vetustate nimis exesam atque descobinatam esse nemo non dolet. Si vs. 3 Dielesius *διὰ τὴν τελετήν* recte legit, vel hac voce ad *Τελετάς* Orphicas relegamur; vs. 4, ubi *φάρμακον⟩ ἔτεμον· ποινὰς πατέ⟨ρων ἔτεισα* supplendum esse mihi videtur, sine dubio verbis *ποινὰς πατέρων* ad Zagreum à Titanibus distractum deducimur. Brimo, Ceres, Rhea et ministri Curetes vss. 5—7 implorantur, ex quibus Brimo ad Argon. vs. 17 nos admonet: *Βριμοῦς τ'εὐδυνάτοιο γονάς*, in quo versu poetam ex *Τελεταῖς* pendere vidimus. Curetes vs. 7 (*Κούρητές τε ἔνοπλοι*) commemoratos in *Τελεταῖς* maximas partes egisse iam expositum est. Si vs. 11 Tierneyus (*A new ritual of the Orphic Mysteries, The classical Quarterly, London* XVI 1922 p. 82) recte *Καβείρων⟩ ἀπερίσια δῶρα* coniecit, haec respondent versui 27 Argonauticorum: *ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων*, quae verba in versu ad *Τελετάς* referendo inveniuntur. Palladem vs. 21 laudatam etiam in carmine Onomacriti repperimus cor Zagrei servantem, cui in eo etiam alias res astrui infra cognoscemus. Cum vs. 29 crepundia *κ⟩ῶνος ῥόμβος ἀστράγαλοι — η ἔσοπτρος* ad partes vocentur, cui in mentem non veniunt versus illi a Clemente citati? Tantos consensus vel obiter percurrenti de origine dubitatio esse nequit; neque enim semel ac bis, sed per omnem tractatum frusta carminis Onomacritei inculcata sunt. Atque haud scio an vestigia metrica, quae multa ibi inveniuntur, ex opere Onomacriteo arcessita sint, cuius paraphrasim pedestrem totam laciniam esse mihi haud verisimile est. Viri quidem doctissimi, qui adhuc hoc fragmentum tractaverunt, in eo elementa diversissima confusa esse opinati sunt: sed quid obstat, ne haec iam in carmine Onomacriteo consuta sint? Quod ad Eleusinia attinet, in iis Brimo numeratur, quod Hippolytus (ref. omn. haer. V 8, 40 p. 96, 14 Wendl.) hierophantam Eleusinium vocare profert: *αὐτὸς ὁ ἱεροφάντης, οὐκ ἀποκεκομμένος μέν, ὡς ὁ Ἄττις, εὐνουχισμένος δὲ διὰ κωνείου καὶ πᾶσαν ἀπηρτημένος τὴν σαρκικὴν γένεσιν, νυκτὸς ἐν Ἐλευσῖνι ὑπὸ πολλῷ πυρὶ τελῶν τὰ με-*

γάλα καὶ ἄρρητα μυστήρια βοᾷ καὶ κέκραγε λέγων· „ἱερὸν ἔτεκε πότνια κοῦρον Βριμὼ Βριμόν", τουτέστιν ἰσχυρὰ ἰσχυρόν, et vs. 25 *ἔπιον* atque *σύνθημα* Eleusinia esse dicuntur, quod Clemens Alex. Protr. II 21, 2 I 16, 18 St. profert: *κἄστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων· „ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην".* Sed anceps est quaestio, utrum Brimo in opere illo Orphico an in mysteriis Eleusiniis prius allata sit. Si hoc alterum concedendum, Onomacritum eius nomen ex Eleusine hausisse iudico; sin autem prior sententia comprobanda est, in recentiore quidem memoria ex carmine illo Onomacriti in Eleusinia eam translatam esse credo, quae opinio multis argumentis annuitur. Alia quoque Onomacritea post Christum natum Eleusinem venisse testis est Clemens, qui Baubonis illas foeditates mysteriis Atheniensium (*τα κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια*) sc. Eleusiniis imputat. Pausanias denique l. l. *τελετήν* Eleusiniam componit cum *καλουμένοις Ὀρφικοῖς*, nimirum *Τελεταῖς* Onomacriti. Hi sunt sane ei, qui eorum quisquilias vel leviter gustavit, auctores incertissimi, sed ex titulis quoque Eleusine *Τελετάς* Onomacriti actas esse patescit. Eleusine enim thymiaterium inventum est, in cuius basi teste Kuruniote (*Ἀρχαιολογ. Δελτ.* 1923 p. 171 sqq.) legitur: *Ἰούνιος Ἀγαθόποδος Μαραθώνιος Διονύσῳ παραπαίζοντι,* in quo titulo secundo saeculo post Christ. nat. attribuendo de Zagreo ludente agi Kernius (*Orpheus* p. 54) iure optimo demonstravit (aliter Kuruniotes l. l.; cf. Kern.: *Religion der Griech.* I p. 295 m.). Sed quod idem Kernius in Dionis orat. XXXI 92 I 313, 17 de Bud. Zagreum puerum delitescere arbitratur, nunc rectius iudicare possumus, quoniam quid *Τελεταί* continuerint, constituimus: *καὶ παρ' Ἀθηναίοις Ἐλευσινίου μύστου παιδὸς εἰκὼν οὐκ ἔχουσα ἐπιγραφήν· κἀκεῖνον εἶναι λέγουσιν Ἡρακλέα ...*; quis enim haec verba attentius intuens de Hercule Digito agi non intellegit, quem in *Τελεταῖς* Onomacriteis allatum esse cum ex fragmento a Pausania allegato tum ex Ar-

gonauticis Orphicis collegimus? Itaque cum etiam ministrii minoris dignitatis in mysteria Eleusinia ex carmine illo recepta esse videantur, totum carmen Onomacriti tempore posteriore Eleusine editum esse reor. Quibus probatis filius, quem Brimo-Proserpinam peperisse hierophanta pronuntiat, Zagreus existimandus est, quare neque cum Kernio (*Die griech. Mysterien* p. 71), cui Deubner (*Attische Feste* p. 85) socius sententiae est, Brimo Cererem, filium *Πλοῦτον*, neque cum Koertio (*A. R. W.* XVIII 1915 p. 125) *Βριμόν* mystam ipsum, aut cum Rohdeo (*Psyche*[10] I 285 n. 1) Iacchum iudico.

Papyrum legem sacram suppeditare omnes critici consentiunt, sed valde dissident, cui deo lex haec sacra addicenda sit. De Zagrei sacrificio in papyro agi Tierneyus contra Smylyum contendit. Sed quid tandem legitur de Zagreo? Brimo quidem, Rhea, Curetes, Eubuleus, Ericepaeus invocantur, sed Zagrei ne mentio quidem fit; vs. 22 *Ἰρικεπαῖγε*, vs. 23 *εἷς Διόνυσος* ad Zagreum referenda esse ex nihilo patet. Ergo nobis cum sacrificio res est, quod Cereri et Proserpinae offertur. Tamen crepundia in extremis versibus adhibita ut fabularum Zagrei memoriam replicent, ex eo efficitur, quod ab Onomacrito Proserpinae *τελετή* cum Zagrei arte coniuncta est. Deis vss. 5—7 invocatis sacrificia offerantur *κριός τε τράγος τε—ἀπερίσια δῶρα*; ex *τράγῳ* pars *εἰς τὸ ἀνηρε⟨ι⟩μένον κάλαθον* ponatur, cetera autem edantur. Smylyus iure ad partes vocat Mich. Psellum *Τίνα περὶ δαιμόνων δοξάζ. Ἕλληνες* 39 Boisson.: *τραγοσκελὲς μίμημα παθαινόμενον περὶ τοῖς διδύμοις, ὅτιπερ ὁ Ζεύς, δίκας ἀποτιννὺς τῆς βίας τῇ Δήμητρι, τράγου ὄρχεις ἀποτεμών, τῷ κόλπῳ ταύτης κατέθετο ὥσπερ δὴ καὶ ἑαυτοῦ.* Etiam *Καβείρων⟩ ἀπερίσια δῶρα* ad Cererem nos revocant, cum ea cum Lobeckio (p. 1209) et Kernio (*R. E.* X p. 1423) fruges censendae, nullo pacto utique *τράγος* et *κριός* intellegenda sint, ut Tierneyus arbitratur. Sacrificetur (vs. 12) *ἐπὶ ποταμοῦ νομῷ*, quod nos admonet ad pratum, in quo Proserpina a

Plutone rapitur (Hom. hymn. in Cer. vs. 7: *λειμῶν' ἄμ μαλακόν*). Vs. 18 sequuntur preces a *Πρωτόγο⟩νον* initium capientes. *σὺ ἀπανάνας* (vs. 20) verba sacerdotis esse Kernius affirmat; sed incredibile est preces vix incohatas statim abrumpi, quare Eubuleum, quem eundem atque Phanetem-Solem puto, hoc quoque loco invocari credo: „Amicos extorruisti", inquit, ut Cererem errantem, quae neque situm neque potum accepit. Ut haec filiam denique repperit, quod potu et cibo se abstinuit, sic salus animae mystarum merces existimanda est. Similia inveniuntur in lamella aurea (Kern. fr. 47), ubi Proserpina Solem implorat:

μητέρι Πῦρ μέν μ' ἄγ[ε], εἰ νῆστις οἶδ' ⟨ὑπομεῖναι⟩,
ἑπτά τε νῆστιν νυξὶν ἢ μεθ' ἡμέραν (?) ἐλινύεν.
ἑπτῆμαρ τὶν νῆστις ἔην, Ζεῦ Ὀλύμπιε καὶ πανόπτα
Ἅλιε . . .

Vs. 21 sic illustrandus est: „A Cerere et Pallade nobis salus tributa est", i. e. quod hae deae Proserpinam reppererunt. Pallas igitur in carmine Orphico eas partes egisse videtur, quas Hecate in hymn. Homerico Cererem filiam quaerentem comitata. Vss. 23 sqq. complura *σύμβολα* allegantur: *εἷς Διόνυσος, θεὸς διὰ κόλπου, ἔπιον, ὄνος, βουκόλος, ἄνω κάτω*, ex quibus nonnulla in illo *συνθήματι* Eleusiniorum inveniuntur. Vs. 24 Tierneyus *θεὸς διὰ κόλπου* sic interpretatur: „*It is clearly a ceremony or mystic formula, which announces the birth of the God. Zagreus is born again by means of the heart preserved from destruction.*" Formula autem illa non significat deum nascentem, sed mystam cum deo coniunctum (cf. Dieterich.: *Mithrasliturg.* 123 sqq.).

Somniis priorum remotis iam plurimae difficultates, quibus hoc fragmentum adhuc laboravit, decoxerunt; nam ex interpretatione patet Eubuleum eundem atque Phanetem esse, qui vs. 22 Ericepaeus appellatur. Itaque non immerito Dielesius vs. 23 in *ητα* latere *Φάν⟩ητα* arbitratus sit, et Smylyus vs. 18 *Πρωτόγο⟩νον* haud iniuria coniecerit, quae

nomina eiusdem dei esse censeo omnia in fragmento a Macrobio exhibito (Saturn. I 18, 12; Kern. fr. 237) congregata:

τήκων αἰθέρα δῖον ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
ἐξανέφηνε θεοῖσιν ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι,
ὃν δὴ νῦν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον
Εὐβουλῆά τ' ἄνακτα καὶ Ἀνταύγην ἀρίδηλον·
ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, Διώνυσος δ' ἐπεκλήθη,
οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν Ὄλυμπον·
ἀλλαχθεὶς δ' ὄνομ' ἔσχε, προσωνυμίας πρὸς ἕκαστον
παντοδαπὰς κατὰ καιρὸν ἀμειβομένοιο χρόνοιο . . .

Primo quidem obtutu hanc laciniam posteriori aetati addixeris, sed quoniam Onomacriti temporibus Phanetem Eubuleum Ericepaeum confusos esse non modo ex papyro, sed etiam ex iis, quae in capite praecedente disputavimus, elucet, nihil obstare videtur, quominus illam iam tum conscriptam esse credamus. Quid? quod etiam cetera fragmenta a Macrobio allata, quae omnia ex eodem carmine decerpta esse Kernius cognovit, ex Onomacriti *Τελεταῖς* sumpta esse videntur? Ac primum perscrutemur Macrob. Saturn. I 18, 17 (Kern. fr. 239 b): *εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.* Nemo non videt hoc analectum artissime cum vs. 23 papyri cohaerere, ubi scribitur *εἷς Διόνυσος,* quae pars versus ex illo a Macrobio adhibito delibata esse videtur. Deinde quod Macrobius in Somn. Scipion. I 12 11 (Kern. fr. 240) Zagreum a Titanibus distractum perstringit, quam fabulam in *Τελεταῖς* enarratam esse demonstravimus, Macrobium etiam hoc fragmentum ex Onomacriti carmine hausisse haud veridissimile est, praesertim cum ipse dicat hanc fabulam „in illorum sacris" traditam esse, qua voce Graecas *Τελετάς* absque dubio convertit. Denique Macrob. Saturn. I 18, 22 (Kern. fr. 238) Onomacriti carmini assignare licebit, cum Macrobius Orpheum „in sacris Li-

beralibus ita scribere" affirmet: *ταὐτά τε πάντα τελεῖν* ... Ceterum ex hac lacinia certo concludi potest in Onomacriti opere non modo fabulas in mysteriis editas, sed etiam res ad vestes actoris pertinentes reperiri.

Quibus frustis in Onomacriti *Τελετάς* infarsis quaestio movetur, quid de carmine *Βακχικά* inscripto iudicandum sit, cui Kernius Rohdeo (*Psyche*[10] II 103 n. 1) fisus illa vindicavit. Cum apud Suidam (Kern. test. 223) legamus: *Θρονισμοὺς μητρῴους καὶ Βακχικά* nec non in Suidae Vita Pindari *Ἐνθρονισμοί* et *Βακχικά* conferruminentur, hae duo partes unius carminis esse videntur, id quod adhuc immerito negatum est. Cum *Θρονισμοὶ μητρῷοι* ad Cybelae Corybantumque cultus nos relegent, in antecessum concludere licet in carmine *Βακχικά* inscripto de Sabazio, deo cum Baccho confuso, agi, cuius cultus et ipse originis Phrygiae cum illis arte connexus fuit. Quam opinionem haud procul vero esse perspicitur ex fragmento, quod solum ex hoc opere servatum Tanneryus (*Revue de philol.* XXIV 1900 p. 97 sqq.) perperam in dubium vocavit (Hippolyt. Refut. omn. haeres. V 20, 4 p. 121, 23 W.; Kern. fr. 243): *ὁ γὰρ περὶ τῆς μήτρας αὐτῶν καὶ τοῦ ὄφεως λόγος καὶ ⟨ὁ⟩ ὀμφαλός, ὅπερ ἐστὶν ἀνδρεῖα, διαρρήδην οὕτως ἐστὶν ἐν τοῖς Βακχικοῖς τοῦ Ὀρφέως*, in quo frusto anguem ad partes vocatum Sabazii mysteriorum proprium esse nemo nescit.

Jam convertamus ad canticum Euripidis Helenae (de quo eximie disputaverunt L. Maltenius *A. R. W.* XII 1909 p. 419 sqq. et P. Maasius *Epidaurische Hymnen. Schriften der Königsb. Gel. Gesellsch. Geistesw. Klasse, 9. Jahr, Heft 5* (1933) p. 142 399), in quo vestigia *Τελετῶν* deprehendisse mihi videor; nam quod Euripides Cererem eandem deam atque Rheam existimat, hoc ex opere Onomacriti profectum esse apparet, cum hae deae etiam in papyro (vs. 6): *Δημήτηρ τε Ῥέα* eaedem censeantur. Atque quis Eurip. Helen. vs. 1301 circumspiciens non meminit versus 21 Argonauticorum: *ὀρεσσιδρόμου τε λατρείην μητρός*? Vs. 1311 poeta

canit Minervam Dianamque Cererem errantem comitatas esse: *ἁ μὲν τόξοις Ἄρτεμις, ἁ δ' ἐν ἔγχει Γοργὼ πάνοπλος*, id quod iam ex papyro (vs. 21) conclusimus: *Δήμητρος καὶ Παλλάδος ἡμῖν* . . . Quod in papyro saec. I a. Chr. (Kern. fr. 49) vs. 38 legimus: *τὸν δὲ Δία βρονταῖς καὶ ἀ⟨στρ⟩απαῖ⟨ς καὶ ὕ⟩ς ἐπαξονεῖν μελαίνα⟨ς⟩, ⟨α⟩ἵ δ⟨ίδονται αἱ ς ν⟩ομαὶ Ἀρτέμιδος τοξεί⟨ᾳ⟩, Ἀθηνᾶς . . . χοίρας μιᾶς*, auctor hoc ex *Τελεταῖς* furatus esse videtur, cum in hymno Homerico illae deae neque Proserpinam neque Cererem adiuvent, sed nonnisi cum Proserpina ludentes appellentur (vs. 425). Ad coniecturam meam approbandam summo est momento antistropha cantici Helenae, in quo Ceres cum Rhea plane confunditur. Cum hymno quidem Homerico convenit, quod Juppiter omnes deos ad Cererem mittit, ut eius animum recolligant; sed Onomacritus, cuius vestigiis Euripides institit, ex eorum numero Venerem separatam laudavisse videtur. Gratias denique quin Euripides Onomacriti operi debeat, in dubium redigere non licet, cum a Pausania quoque eius carmini infulciantur.

In cantico quoque Cretensium Euripides ex *Τελεταῖς* pendere videtur (Tr. Gr. Fr. 472 Nauck.[2]; cf. Wilamowitz.: *Berl. Klassikertexte* V 2 p. 77 n. 11):

> *ἁγνὸν δὲ βίον τείνων ἐξ οὗ*
> *Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην,*
> *καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως βούτης* (Wil.; *βροντάς* codd. pl.; *βούτας* Dieles.)
> *τάς τ' ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας*
> *μητρί τ' ὀρείᾳ δᾷδας ἀνασχὼν*
> *μετὰ* (Wil.; *καὶ* trad.) *Κουρήτων*
> *βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.*

Omnes critici, qui hoc fragmentum adhuc percensuerunt, Euripidem conglutinavisse cultus diversos opinantur: E. Maassius (*Orpheus* p. 103 n.) poetam duos cultus Jovis Idaei et Zagrei copulavisse affirmat; sed quamvis Curetes illis cultibus

plerumque affixi sint, tamen cum allatis tertius cultus Rheae hoc loco consociatus esse videtur, quem Wilamowitzius (*Glaube der Hellen.* II p. 186) recte agnovit. Sed neque Maassio neque Wilamowitzio concedo Euripidem ipsum hos diversos cultus colligavisse, ac potius hos coniunctos eum iam in fonte invenisse crediderim, quem Onomacriti *Τελετάς* esse negari nequit: Argonauticorum versus 21: *θητεία Ζηνός* respondet Euripidis verbis: *Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην*; Zagrei fabulas in Onomacriti opere narratas esse constat; *βούτης* admonet nos ad *βουκόλος* in papyro (vs. 25); Cererem cum Rhea ab Onomacrito confusam esse supra ostendimus; Euripidem non de vera Rhea, sed de Cerere dicere elucet ex verbis *δᾷδας ἀνασχών*, ita ut errores Cereris respiciat: *Δήμητρος πλάνην* (Orph. Arg. vs. 26); verba *μητρὶ ὀρείᾳ* in memoriam revocant Helenae vs. 1301: *ὀρεία μάτηρ* et Argon. vs. 21: *ὀρεσσιδρόμου μητρός*. Etiam Curetes ex compluribus fragmentis nobis noti sunt, quare de iis nihil mihi monendum est. Adice, quod Euripides eandem seriem fabularum exhibet, quam *Τελεταί* praebent; nam Onomacritum primum de Jove Proserpinam incestante, deinde de Zagreo, Proserpinae filio, a Titanibus interempto, postremo de Cerere filiam a Plutone raptam quaerente disseruisse apparet.

Quoniam rivulos consectati sumus, iam liceat ad fontem accedere et in summam premere, quae dilatavimus. Ac primum quidem quod Euripides quoque *Τελετάς* depeculatus est, tempora fere conciliata sunt, ut hoc carmen ne ab Onomacrito conscriptum esse putemus, nihil obstet, qui primus in sacra Orphica cultus Zagrei et Bacchi intulisse videtur, quoniam in *Ἱερῷ λόγῳ* paucis decenniis ante composito hos plane praetermissos esse in capite primo exposuimus. Unde fabulas Zagrei a Titanibus divulsi surripuerit, incertum est, sed non sine specie veritatis Lobeckius, cui Wilamowitzius (*Glaube* II p. 193) nuperrime astipulatus est, eas ex narrationibus Aegyptiis de Osiride repetivit, quibus praeter alia Eleusinia admiscuisse videtur. Bacchi minoris in

hoc opere mentionem fieri expressis verbis in nullo fragmento affirmatur, sed fortasse ex Argon. vs. 28 concludi potest, quo loco Nox de Baccho vaticinans inducitur. Sed de hac re quin nonnulla subiciam, mihi non eximitur.

Cornutus cap. XXX et Philodemus De piet. 44 p. 16, 1 Gomp. (Kern. fr. 36) de triplici Bacchi ortu eodem modo dicunt, ut deum primum ex matre (sc. Semela), alterum ex femore Jovis, tertium ex membris alterius Bacchi a Titanibus discerpti, quae Rhea composuerit, natos esse explicent:

Philodem. l. l.	Cornut. l. l.
I. *πρώτην τούτων τὴν ἐκ μητρός,*	p. 58, 6 Lang.: *λέγεται δὲ διὰ πυρὸς λοχευθῆναι . . .* p. 58, 14: *ἐπεὶ πρώτη μὲν αὐτοῦ γέννησίς ἐστιν ἡ κατὰ πέπανσιν τῆς ὀπώρας . . .*
II. *ἑτέραν δὲ τὴν ἐκ τοῦ μηροῦ,*	p. 58, 10: *ἐρραφθεὶς δ' εἰς τὸν μηρὸν τοῦ Διὸς ἐκεῖ τελεσφορηθῆναι . . .* p. 58, 16: *δευτέρα δ' ἡ κατὰ τὴν πάτησιν . . .*
III. *τρίτην δὲ τὴν ὅτε διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν Τιτάνων Ῥέας τὰ μέλη συνθείσης ἀνεβίω.*	p. 62, 10: *μυθολογεῖται δ' ὅτι διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν Τιτάνων συνετέθη πάλιν ὑπὸ τῆς Ῥέας . .*

Auctor operis, quod uterque exscripsit, ad fabulas Euphorionis se applicavisse videtur, quem Philodemus ad partes vocat: *καὶ ἐν Μοψοπίᾳ δ' Εὐφορίων* (fr. 33 Scheidw.) *ὁμολογεῖ τούτοις.* Cum Callimachum et Euphorionem easdem fabulas narravisse a scholiasta ad Lycophr. 208 p. 98, 5 Scheer. asseveretur, Callimachum cum Euphorione consensisse arbitratus sis: *ἐτιμᾶτο δὲ καὶ Διόνυσος ἐν Δελφοῖς σὺν Ἀπόλλωνι οὑτωσί· οἱ Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη σπαράξαντες Ἀπόλλωνι* (Et. Gen.) *ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο ἐμβαλόντες λέβητι, ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι ἀπέθετο* (Etym. M. 255, 14) *ὥς*

φησι Καλλίμαχος (fr. 374) *καὶ Εὐφορίων* (fr. 12 Scheidw.) *λέγων·*

ἂν πυρὶ Βάκχον δῖον ὑπὲρ φιάλης (Lob. corr.; *ὑπὲρ φιάλην* codd.) *ἐβάλοντο.*

Sed ex hoc scholio potius in promptu est hos Alexandrinos inter se valde discrepavisse, cum versus Euphorionis citatus ad Titanes spectet membra distracta non Apollini tradentes, sed assantes, qua ex differentia scholiastam apud Euphorionem non eadem legisse ratiocinor, nisi forte non modo Euphorionis, sed etiam Callimachi verba perperam interpretatus est. Quod Callimachus Apollinem membra Bacchi iuxta tripoda posuisse retur, hoc quodammodo conspirat cum *Τελεταῖς*, in quibus Apollinem membra dei in Parnasso sepelivisse exponitur; atque quod idem Titanes membra in patera collecta Apollini tradidisse dicit, hoc ex carmine Onomacriteo male intellecto fluxisse videtur, ubi hoc legitur (fr. 35): *οἱ δὲ Τιτᾶνες, οἱ καὶ διασπάσαντες αὐτόν, λέβητά τινα τρίποδι ἐπιθέντες καὶ τοῦ Διονύσου ἐμβαλόντες τὰ μέλη, καθήψουν πρότερον· ἔπειτα ὀβελίσκοις περιπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο,* quibus in verbis tripoda commemoratum Callimachus cum tripode Delphico permiscuisse videtur. De triplici ortu Bacchi agit Diodorus quoque, sed alio modo, ut cum Euphorione concinat in tertio tantum ortu (III 62, 6): *παραδεδωκότων δὲ τῶν μυθογράφων καὶ τρίτην γένεσιν, καθ' ἥν φασι τὸν θεὸν ἐκ Διὸς καὶ Δήμητρος τεκνωθέντα διασπασθῆναι μὲν ὑπὸ τῶν γηγενῶν καὶ καθεψηθῆναι, πάλιν δ' ὑπὸ τῆς Δήμητρος τῶν μελῶν συναρμοσθέντων ἐξ ἀρχῆς νέον γεννηθῆναι,* quae narratio a *Τελεταῖς* recedit, in quibus teste Clemente Apollinem in Parnasso monte corpus discerptum sepelivisse pertenditur, quare haud scio an Philodemus hoc carmen Orphicum spectet dicens: *ὁ δ' Ὀρφεὺς ἐν Ἅιδου καὶ πάντα χρόνον ἐνδιατρείβειν.* Cum cor a Minerva servatum supersit, Onomacritum corde a Jove devorato Bacchum recentiorem ex Jove et Semela natum esse narravisse verisimile est. Ex hoc car-

mine Macrobium in Somn. Scipion. I 12 11 (Kern. fr. 240) pendere iam supra evicimus, cuius verba Mythogr. Vat. III 12, 5 recoxit (cf. Robertus Raschkius: De Alberico Mythologo. Bresl. Phil. Abhandl. 1913 p. 24):

Macrob. l. l.	Mythogr. Vat. l. l.
ideo in illorum sacris traditur Titanio furore in membra discerptus et frustis sepultis rursus unus et integer emersisse	ut autem paulo altius ordiri videamur, habet fabula Gigantes Bacchum inebriatum invenisse, et discerpto eo per membra, frusta sepelivisse, et eum paulo post vivum et integrum resurrexisse.

Quod hi testes Bacchum frustis sepultis „rursus unum et integrum emersisse" vel „vivum et integrum resurrexisse" autumant, hac in re fabulae, quas Euphorion praebet, cum *Τελεταῖς* confusae esse videntur, nisi illud de tertio Baccho ex femore Jovis nascente intellegendum est. Cum *Τελεταῖς* Rhapsodiae quoque consonare videntur; nam quod Holwerda (p. 366) opinatur in Rhapsodiis Apollinem membra Zagrei Jovis iussu composuisse, ut in vitam redintegraretur, haec suspicio pistrino critico facile pinsari potest, cum nitatur fragmentis Neoplatonicis velut Procl. in Tim. 35 b II 198, 12 Diehl. (Kern. fr. 211): *ὁ συνάγων καὶ ἑνίζων τὰ μερισθέντα τοῦ Διονύσου μέλη κατὰ τὴν βούλησιν τοῦ πατρὸς οὗτός, ἐστιν ὁ θεός*, in Plat. Alcib. I 103 a p. 391, 10 Cous.: *Ὁ. ἐφίστησι τῷ βασιλεῖ Διονύσῳ τὴν μονάδα τὴν Ἀπολλωνιακήν, ἀποτρέπουσαν αὐτὸν τῆς εἰς τὸ Τιτανικὸν πλῆθος προόδου καὶ τῆς ἐξαναστάσεως τοῦ βασιλείου θρόνου, καὶ φρουροῦσαν αὐτὸν ἄχραντον ἐν τῇ ἑνώσει*, Olympiodor. in Plat. Phaedon. 67 c p. 43, 15 Norv. *ὁ Διόνυσος σπαράττεται μὲν ὑπὸ τῶν Τιτάνων, ἑνοῦται δὲ ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος* et B *ιδ´* p. 88, 12 Norv. (Kern. fr. 212): *ὡς δὲ Ἀπόλλωνα μέσον, συνάγοντα μὲν τὴν Διονυσιακὴν διαίρεσιν, τῷ δὲ Διὶ παριστάμενον* (cf. Kern. fr. 216 b), quibus frustulis nihil nisi Apollinem

Zagrei membra collegisse et composuisse significatur, non ut in vitam restitueretur, sed ut sepeliretur. Itaque Bacchum alterum ex femore Jovis generatum esse in Rhapsodiis proferri non modo ex iis fragmentis patet, quibus Hipta nutrix Bacchi appellatur, sed etiam ex hac lacinia (Procl. in Plat. Tim. 30 b I 408, 2; Kern. fr. 199 p. 222 m.): *ὃ* (sc. Bacchus minor) *δὲ ἀπὸ τοῦ μηροῦ τοῦ Διὸς πρόεισιν εἰς αὐτήν* (sc. Hiptam), quo loco Hiptam nutricem huius Bacchi esse asseritur.

Index locorum explicatorum.

Vita.

Natus sum Adolfus Krueger pridie Non. Apr. MCMXII Havelseae, in viculo ad Hannoveram sito, patre Augusto, matre Frida e gente Schaper. Vere MCMXXX testimonium maturitatis adeptus in studia philologa et Germanica incubui Jenae per sex menses, Gottingae per tria, Halis per quattuor semestria. Docuerunt me praeter ceteros viri litterati Jenenses Barwick, de Blumenthal, Leitzmann, Zucker, Gottingenses Latte, Misch, Neumann, Pohlenz, Schroeder, Thiersch, Halenses Diehl, Friedlaender, Kern, Koch, Kranz, Laqueur, Praechter †, F. J. Schneider, Specht, Stenzel, Uxkull-Gyllenband (nunc Tubingensis), quibus omnibus magnas gratias ago, maximas autem Ottoni Kern, qui me sacris Orphicis initiavit et ad hanc commentatiunculam conscribendam liberaliter adiuvit.